

præsumimus talia, ut inde bibamus, ubi tām mirifica videmus coruscare miracula. Vnde mirati sunt pastores, dicentes alterutrum: Quid sibi hoc vult esse miraculi? Denique videmus pecora sitibunda & ad fontem usque properare, & tamen gustare de fonte non præsumunt.

Certum est, hoc sine ratione non esse, & adeuntes senem scisitabantur ab eo, rationem rei processumque exponentes, quibus ille ait: Et stella matutina declarante, fundumque illius illuminante, & divinā gratiā prohibente, video ne de hoc pecora bibunt, quamdiu hoc, quod in fonte latet, creditur subsistere, sed solum hominibus concessum esse, ut quicunque dolorosus de eo gustaverit in sua infirmitate, citius liberetur.

Post hēc autem cūm crebrescerent miracula, & memoratus pastor ea, quā subiecta sunt, sacerdotibus revelasset, viri religiosi & timoraticum populis provincialibus & ornamenti ecclesiasticis induiti ad fontem sāpē dictū perrexerunt, extractamque sanctam imaginem cum hymnidicis choris & frequentia populorum & letitia spirituali in loco arboris honorificē collocarunt. Altare autem de ostiolo pastoris facientes & oblationibus pecorum cumulant̄ & donariis aliis conferentes ipsum altare impleverunt. Unde cūm opinio multorum de loco memorato cresceret, famā divulgante, factum est, ut cum devotione ab universis frequentaretur, ipsum locum beneficiis firmaverunt. Insuper etiam quādam religiosā virginēs prædictum locum adeuntes & voto regulari se subdentes cum omni patrimonio suo ibidem se collocaverunt, ipsum cenobium ædificantes fundatrices extiterunt non solum in temporibus, sed etiam in spiritualibus & ecclesiasticis disciplinis, quod usque in hodiernum perficitur. Unde sit laus Regi gloriæ in perpetuum in fonte misericordiæ ac virginis Mariæ.

Eo in tempore Magdeburgensis Archiepiscopus quidam, Wicmannus nomine, cūm prædictus locus construeretur, transiens & videns ac intelligens rem gestam, remque gerendam conspiciens, devotione motus dedit mantellum suum ad ædificationem operis inchoati. Ipsum verò locum fontis sancte Marie & novem mansos tribuit liberè & quietè in perpetuum possidentum. Post aliquantos etiam dies, cūm manifestaretur non solum vicinis incolis, verū etiam Principibus in partibus valde remotis, religio jam sāpē dicti loci accrebit, non solum devotio interior, sed etiam exterioris devotionis demonstratio cum effectu. Unde factum est, quod duo Comites, quorum unus Milo, alter Woldemarus dicebatur, plus quam centum marcas nomine eleemosynæ ipsi clauistro contulerunt, ut participes fierent omnium bonorum, quā fiunt in eo pro vivis & defunctis, & ad laudem Mariæ virginis gloriose, cuius laus & gloria in fonte sancte Mariæ magnificetur in secula seculorum. Amen.

## XXXVI.

HINRICI DE BERN TEN

*Abbatis Marienrodensis*

CHRONICON MONASTERII MARIENRODE,

Ex MSto.

*Prologus fundationis Monasterii Marien-*  
*rode.*

**H**esus Christus Maria de virgine natus, primogenitus, Dei quoque Patris primogenitus, ante omnia secula natus atque unigenitus, cum venit plenitudo temporis de ipsa intemerata matre temporaliter procedens, tanquam sponsus de thalamo suo, sancta suā Ecclesiā his ultimis temporibus seculi serenus illuxit. Quapropter ipsa tanto beneficio non ingrata ornavit se vestitu nuptiali deaurato, circumdata varietate præparata ad tantas nuptias verbi Dei exivit gaudens obviam sponsō suo. Unde dicitur in Apocalypsi: Venerunt nuptiæ agni & uxor ejus præparavit se. Varietas ista vestimentorum sponsar, diversitas est Ordinum & religionum, quibus vestitur tanquam tunica Joseph polimita sacrosancta Ecclesia. Inter quos ordines religionum, non minimum locum videtur habere sacer *ordo noster Cisterciensis*, de cuius ordinis odore, conversatione multiplici eadem regis sponsa inclita, sacrosancta Ecclesia, cernitur solenniter adornari. Qui videlicet Ordo plantatus in agro dominico sic à suis primordiis divina cooperante clementia pullulavit, sic laudabilibus incrementis profecit, fructus copiosos bonorum operum assidue proferendo, quod inter alia dicti agri germinantia tanquam fidereo nitore

tore resplendens, plenus donis virtutum, spiritualiter & temporaliter noscitur habundare. Et tanquam membrum nobilissimum in Ecclesie corpore à sui plantatione per semitam mandatorum Dei ambulavit ac unitatem servavit & pacem, quod nunquam gubernante gratia divina turpem sibi maculam superinduxit alicujus dissensionis rimula vel scissura. Sed ille mirabilis architectus, super se lapidem angularem ædificans Ecclesie sue templum illud à terra exaltatum ad cœlum immobiliter stabilivit, & inexpugnabiliter communium ordinavit multiplicitate, & ornavit. Inter alia decoris ejus insignia columnam in ipso inflexiblem & insignem, dictum videlicet Ordinem Cisterciensem non solum ad ornatum, sed etiam ad fulcimentum decenter erexit. Qui per Dei gratiam rectus & stabilis perseverans cum tempore Beati Bernhardi, schismaticis erumpentibus, Ecclesia visa fuit utcunque nutare, quin etiam et si non cecidit, potuisset cecidisse videri, affuit utique oportune nec unquam illi desinens meritis & intercessionibus suffragari. Urit hæreticos, torquet malevolos, & rectos ad emulationem provocat salutarem. Unde ipsum Dominus tanquam populum acceptabilem sibi numero & merito ampliavit, eique de rore cœli & de pinguedine terra benedicens dilatavit locum tentorii eiusdem ordinis & pelles tabernaculorum ejus extendit, ita ut à mari usque ad mare suos palmites dilataret. A quibus tandem palmitibus in ipsius primordio inter cetera ejusdem monasteria tempore beati Bernhardi illud solemne cœnobium ejusdem Ordinis, quod Riddageshusen dicitur, cœpisse comprobatur, quod ab illo tempore usque nunc ad tempora nostra nunquam de gratia Dei à regularibus institutis desipuit, nec sapor primæ religionis totaliter quandoque, ut dicitur, immutatus est. Cumq; per centum annos & amplius radices fixisset suæ fundationis loco, cœpit & ipsum extendere palmites suos versus aquilonem & tanquam apis argumentosa de se conventum nostrum emisit in myricam, in locum desertum, qui Isenbagen dicitur. Qui tamen Conventus post breve tempus Deo disponente in hunc locum, quem modo tenemus, translatus est, qui Novalis Sanctæ Mariae & vulgo nunc Marienrode dicitur. Cum igitur constet, omnia mortalitatis juri subiecta senio & oblivione aboleri, semper honestorum & sapientum id studium fuit, ut quicquid suis temporibus dignum memoria sibi vel ceteris contemporaneis accidisset, qualicunque modo id convenientius possent, oblivioni eriperent, & in scriptura aut pictura hoc quodammodo vivum ac semper manens exhiberent. Hinc itaque est, quod multarum historiarum libri conscripti habentur, in quibus exhortatoria & virtutum incitamenta tam secularibus, quam spiritualibus utilia saepius inveniuntur. Providit etiam antiquorum solertia, ut nullus doctus vel indoctus vel qualiscunque idiota careret exercitio vel meliorationis incitamento. Hinc picti parietes Ecclesiarum, hinc decorus ornatus cortinarum, tabularum & fenestrarum, hinc扇ctorum multorum sculpturæ multiplices, stultis, grossis & indoctis sunt indices. Itaque, cum plures sint Ecclesie atque cœobia ordinis nostri, nec non & aliorum, quæ fundationes Ecclesiarum suarum memoriter scripto teneant exaratas atque perpetuatas ratione præfata vel etiam propter exemplum, ut præcedentium zelum ac pietatem ad Deum & sudores observantia regularis attendentes, inertia atque ignavia se notari erubescant. Quod beatum Papam Gregorium fecisse in gestis Pontificum reperitur. Qui dum adhuc viveret, suam imaginem salubriter in monasterio suo Romæ depingi voluit, in qua posset à suis monachis non pro elationis gloria, sed pro cognitæ distinctionis cautela frequentius intueri, in qua hujusmodi versus ipse dictavit:

Christe, potens Domine, nostri largitor honoris  
Indultum officium solita pietate gubernā.

Aut certe iam talis memoria utilis erit, ne ignorantes beneficia fundatorum, aliorumque beneficiorum atque labores patrum præcedentium minime pensantes, qui ante & propter eos pondus diei & æstus fortiter portaverunt, debitum pensum pro animabus eorum orationibus suis atque eleemosynis Domino reddere non procurent. Quapropter non parum miror, cum Conventus noster etiam jam secundum locum teneat, quare nihil speciale de his gestis à Patribus & fratribus hujus monasterii præcedentibus recollectum sive scriptum reperiamus, nisi quantum ex privilegiis nostris conjicere possumus & ex relationibus quorundam seniorum nostrorum, quos adhuc in carne nos contigit invenire. Inter quos paulo ante dicitur fuisse quidam tam longævus, quod in eodem monasterio quatuordecim Abbatibus fecerit professiones. Qui tamen seniores cum omnibus, qui post eos primum locum in ordine tenebant, brevi tempore occulto Dei iudicio diebus nostris ab hac luce migraverunt. Itaque, ut Conventus fratrum nostrorum recens, qui Deo favente per nos indignos receptus & recollectus est, fere iam nullum habeant inter se, à quo de hujusmodi cognoscere prævaleant veritatem. Inde est, quod ego licet minus idoneus decrevi simplicibus verbis successoribus nostris ea, quæ nobiscum acta sunt, vel nostrorum prædecessorum temporibus gesta per eos exquirere & investigare, memoræque commendare, prout mihi possibile fuit. Accessit ad hoc quorundam fratrum charitativa provocatio, existimantium, hoc multum utile fore propter succedentes generationes. Unde ego labores non minimos atque vigilias adhi-

adhibui, ut aliqua quamvis sero de ante nos gestis & actis circa Monasterium & Conventum nostrum, atque presentibus nostrisque temporibus perspectis ad memoriam conservarentur, sperans, post me futuros, qui hoc venustiore stilo perorment, quod ego propter eorum memoriam rusticè conscribere conatus sum. Inspectis igitur diligenter privilegiis ab initio domus nostræ, & his collatis cum aliis scripturis atque historiis, annalibus ac fama publica, nec non & relationibus quorundam Seniorum nostrorum, ut præmissum est, compilavi quasi Chronicam à tempore fundationis nostri conventus in Isenhagen, cum primum ibidem dirigeretur, usque ad tempora nostra per annos circiter ducentos, quamvis ad omnia media, quæ gesta sunt, pervenire non potui, sed in his famam executus sum. Possunt autem tres status hujus Conventus ab initio sui notari sive considerari. Primus videlicet status regularis observationis ab initio domus in Isenhagen & adeptionis hujus monasterii per annos LXX sub septem Abbatibus, videlicet à primo Abate Domino Dethmaro usque ad septimum, videlicet Dominum Johannem de Heinde, qui fuit immediatus post Dominum Widekindum de Valsede. Secundus status est deviationis etiam per annos LXX sub XVIII Abbatibus à Domino scilicet Johanne de Munstede, à cuius dispositione damnificari cœpit monasterium, magis autem desolabatur per plures annos sub schismate Domini Hinrici de Brunswick, Episcopi Hildesheimensis usque ad Dominum Hermannum de Peynis. Tertio notatur status reformationis, qui cœpit à dicto Hermanno usque nunc, cum scribitur annus gratia 1454. sub sex Abbatibus per annos etiam plus quam LXX, sicut Dei gratia adhuc hodie perseverat, licet, ut dictum est, ad singula gesta abbatum sive tempora intercurrentia pervenire non potui perscrutando. Demum conscientiam meam super recollectis defendendo dico, mei non esse propositi aut fuisse, contra veritatem quicquam scripsisse. Si tamen securus factum sit, cum nihil falsi mihi conscius sum, condescendendum erit mihi, utilitati fratrum succendentium cupienti deservire. Unde dicit venerabilis Beda in prologo sua Chronicæ de Gestis Anglorum, inter cætera scribens: Lectorem suppliciter obsecro, ut si qua in his, quæ scripsimus, aliter quam se habet veritas, positum repert, non hoc nobis imputet, quia vera lex historiæ est, simpliciter ea, quæ fama vulgante collegerit, ad instructionem posteritatis literis mandare. Præterea ad quos hæc historia pervenerit, suppliciter precor, ut pro meis infirmitatibus mentis & corporis apud supernam clementiam superius intervenire meminerit. Hæc ille. Ego vero utpote peccator & longe distans à sapientia & sanctitate hujus viri, amplius indigens, per amplius idem exopto. Credo enim, quod oratio juvans implebit, quod me arripere charitas iussit. Nam certus sum, quod in hoc studio, si quid vituperationis extiterit, meæ erit audaciæ, virtutis aut orationis, si evaserò culpam. De compositore vero non est magna vis, quis dicat. Si quis tamen scire voluerit, colligat initiales literas capitulorum & inveniet.

Explicit prologus.

### I. Incipit Fundatio domus & Conventus Monasterii Marienrode.

**H**inricus igitur dictus Leo, filius filiæ Lothari Imperatoris, princeps magnus, Dux <sup>capac.</sup> Brunswick & Lüneborg, Bavariæ atque Saxoniæ Ecclesiæ Dei atque monasterii præbuit multa beneficia. Duxit uxorem Dominam Matildam, filiam Regis Angliæ, de qua genuit quatuor filios, videlicet Othonem, Hinricum, Wilhelnum & Luderum, qui puer est defunctus. Mortuo autem Hinrico Imperatore hujus nominis sexto, hic Otto hujus nominis quartus ad imperium est assumbus Anno Domini 1210. qui merito Pacificus Rex & pacis filius est dictus. Frater autem ejus Hinricus Palatinus primo duxit uxorem de Rheno, cum qua & principatum Palarii obtinuit, & ex ea duas filias habuit. Aliam postmodum duxit uxorem, Dominam videlicet Agnetam Marchionia Conradi de Landesbarg filiam, quæ in viduitate permanxit, Domino suo mortuo, cum puerum non haberet, scilicet pie vivendo Dominumque rerum suarum heredem constituere cupiens, primo monasterium Sanctimonialium ordinis nostri Cisterciensis in Wynhusen instituit, quod magnifice satis de rebus suis dotavit. Post hæc obtulit Domino Arnaldo Abbati in Riddageshusen locum, qui Isenhagen nominatur, petens, ut ibidem Conventum monachorum sui ordinis destinaret. Quem quidem locum ut illic Domino fratres absque penuria libere servirent, additis aliis bonis quampluribus ampliare curavit. Quæ etiam bona ut quieta fratribus atque perpetua pace permanerent, Dominus Wilhelmus Rex Romanorum illustris frater mariti Domine Agnetis, de quo supra dictum est, suo majestatis privilegio ad petitionem dictæ Dominæ Agnetis confirmare curavit cum omnibus, quæ ex donatione fidelium quorūcunque justis modis acquirerent, procurante Domino in futuro.

### II. De prosecutione foundationis monasterii Isenhagen & fratre Alrado.

**I**gitur anno incarnationis Dominicæ 1245 à fundatione domus in Riddageshusen centesimo plus minus, coaptatis juxta ordinis instituta omnibus necessariis in dicto loco Isenhagen, missus

missus est illuc conventus noster de Riddageshusen in nomine Domini de consensu Capituli generalis juxta petitionem dictæ Dominæ Agnetis, fundatricis nostræ, duodecim videlicet monachi cum Domino Dethmaro Abbatte tertio decimo ad ibidem serviendum Domino & piissimæ matri sive Mariæ. Dicta vero illustris Dothina Agnes antequam plene disposuisset de rebus monasterii præfati Isenhagen obdormivit in Domino ipso die Calendarum Januarii, sepultaque est in monasterio virginum in Wynhusen, quod & ipsa primum, ut dictum est, de rebus suis largissime fundaverat, ubi in Domino quiescens tubam novissimam expectabat. Quia defuncta cœperunt fratres missi in Isenhagen regulariter conversari juxta ordinis consuetudinem, atque religiosæ domus, unde exierant. Et quum locus ipse quodammodo terra salsuginis erat, arenosaque & sterilis, fructum, quem naturaliter ferre recusabat, fratrum labore elaborata ultronea proferebat. Labore igitur manuum suarum illic vicitantes, religiosisque ac pietatis operibus insistentes, divinæ servitutis pensum, videlicet vitulos labiorum suorum in Ecclesia coram altari Domino cotidie offerebant. Fama itaque religiosæ vita eorum per omnem locum in illa terra divulgata est, & facti sunt multis odor vita in vitam quasi dicentibus: In odore unguentorum tuorum currimus. Unde inter ceteros, quos illo tempore fama virtutis eorum attraxerat, vir quidam strenuus de ministerialibus Domini Ducis, grandis opinione & quamvis miles magnificus Alradus nomine dictus de Eldinge conversus est & de milite seculi devotus factus est tiro Christi. Qui videlicet seculi pompam derelinquens, & omni obedientia & humilitate se subdens majori, factus est acceptus Deo & hominibus. Denique tanquam fidelis servus intrans & exiens ad imperium Abbatis sui & fratrum in diversis monasteriis negotiis, in quibus (quia Dominus erat in eo) erat vir immotus, prospere agens. Et quamvis temporalia propter obedientiam frequentans procuraret, orationi tamen & compunctioni speciali gratia deditus erat. Quem etiam Dominus visionibus atque miraculis non paucis, & futurorum revelationibus tam in vita, quam post obitum, prout à nostris senioribus accepimus, illustrare dignatus est. Qui beatus vir & non multum postea in eodem monasterio in Domino defunctus est; & sepultus ibidem 3. Idus Novembris non immrito annumerandus beatis mortuis, qui in Domino moriuntur.

### III. De Combustione Domus in Isenhagen & damno & bonorum confirmatione sive translatione.

**N**on multo post obitum Alradi & multiplicatis ibidem fratibus, transactis jam fere XIII aut XIII annis à sua primaria institutione, occulto Dei judicio, qui nunquam injuste aliquid fieri permittit, licet humana sagacitas ignoret, monasterium ipsum incendio pro maxima parte consumptum & in favillas redactum est. Quod quidem monasterii damnum ad vicinos quoque atque patres ordinis querulose perlatum est; insuper quod nec adhuc bona monasterio assignata per pia memoriam Dominam Agnetam plene promissum Domini Ducis expedita essent, ipso quoque Duce medio tempore decedente; nec etiam sylva & termini adhuc essent distincti; & super hæc omnia, post tale incendiū damnum non sufficerent ædificia recuperare; ideoque alium locum aptiorem esse quærendum. Quibus perceptis patres Abbates ordinis convenientes videlicet de Riddageshusen, de vetere campo, Walckenriede, Amelungesborn, Herwedeshusen & lapidis S. Michaelis scripsérunt unanimiter Dominæ Melchilde Ducissæ & Alberto filio suo tenore, quatenus juxta ingenitam nobilitatem natalium suorum, quum semper benignos ordini nostro se exhibuissent, respicere dignarentur domum Ordinis in Isenhagen, quam ex gratia pia memoria Dominæ Ducissæ & Palatine Agnetis Ordo acceptasset in Abbatiam, providendo Fratribus alium locum, qui ordini magis congrueret, ne forte propter imminentem necessitatem res jam habitæ distraherentur & sic tota illa domus ad nihilum perduceretur. Aut formarent petitionem suam ad Capitulum nostrum generale, ut liceat locum illum transferri & incorporari Rivo Sanctæ Maria, novello monasterio, ita ut res habitæ & omnis simul substantia atque possessio per gratiam eorum conservaretur & cum ipsa domo in illam ab eis privilegiata cum omni integritate & jure proprietatis libera transferretur, ea pietate & gratia, qua per eos cultus divinus firmiter conservatus amplificaretur, & res cum personis translata ab ordine nostro non alienarentur. Quibus auditis Ducissa cum filio suo se super hoc deliberaturos promiserunt.

### IV. De Monasterio Backenrode, quod postea Besingerode, nunc vero Marienrode vocatur.

**R**ebus itaque quam plurimis una cum ædificiis Monasterii per hujusmodi incendium deperditis, perniciibus alis fama usquequa pervolat, quod videlicet fratres ipsum monasterium propter damna eadem & magis propter incommoditatem loci relinquere proposuerunt, quasi jam cognovissent, quod futurum erat, quod eos Dominus alteri loco reservasset. Pervenit igitur fama hujusmodi ad venerabilem Dominum Johannem, Episcopum Hildensem, cuius & diœcesis erat locus ipse Isenhagen. Qui reverendus Pater tricesimus num-

ro, septimus autem decimus à beato Barnwardo Episcopo cathedralē Hildensemensi præsidebat. Hic diu ante iam audierat de religiosa conversatione illorum fratrum & labore, quippe qui eosdem illuc translatos de Riddageshusen ibidem in principio habitare consenserat. Et quod nunc cuperent & rogarent locum mutare propter causas superius memoratas. Desideraverat autem diu & ipse jam pridem sibi proprius attrahere ordinem nostrum propter multa bona, quæ de ipso præ multis alijs solitus erat audire. Volvebat itaque animo, qualiter fratres de Isenhagen sibi attraheret & civitati suæ propius collocaret. Habebat verò non longe à civitate Hildensemensi quandam Ecclesiam five monasterium duplicis conventus, sexus utriusque, Canonicorum videlicet regularium Ordinis S. Augustini & sanctimonialium ejusdem ordinis in sylva in pede montis sylvarum, quod Backenrode dicebatur ad occidentem civitatis ultra montem lapideum. Quam Ecclesiam five monasterium piz memorie olim unus de prædecessoribus suis videlicet Bertoldus nonus decimus numero Episcopus, sextus autem à beato Barnwardo episcopus existens, cum esset omni ecclesiastica religione conspicuus inter alios religiosos viros olim fundaverat. Nam de consensu fratrum suorum hanc congregationem cleri eorum secundum regulam S. Augustini communiter in Christo viventium in antiquissima Villa, quæ Novale Backonis dicebatur, inter condensa sylvarum situata, sub patrocinio sanctæ Dei genitricis Mariae instituit, anno incarnationis verbi Dei millesimo centesimo vicefimo quinto. *Quibus postea ab aliis Episcops additus esse dicitur Conventus sanctimonialium, ut in pluribus etiam aliis Ecclesiis olim consuetum fuisse narratur magis devotionem divina laudis, quam periculum subsequens perpendentibus.* Nam pridem Regulares ab hoc tempore à primo fervore regularis observantia dietim deserentes & latas demum hujus seculi vias incidentes per abrupta scandalorum & inordinationum devia oberrarunt. Quos Venerandus Pontifex Johannes præfatus frequenter visitans corrigerre non potuit, cum tamen omnem industriam eisdem adhibueret. Quapropter quia incorrigibiles sibi omnino extitere, totaliter eosdem extirpare intendebat, eo quod locum ipsum minus digne possiderent, aliasque introducere, qui fructum Domino redderent oportune.

#### V. De Collatione liberali monasterii Backenrode cum omnibus juribus suis.

**I**n terim in mentem venit sibi *Conventus Fratrum de Isenhagen*, quos advocans idem Dominus Episcopus proposuit iisdem intentum suum de præfato monasterio simul & patribus ordinis vicinis super translatione Conventus nostri in hunc locum nostrum Backenrode, quod nunc dicitur Marienrode. Quorum demum placito, consensu habito simul & sui Capituli, ad cultum omnipotentis Dei & honorem sanctæ ejus genitricis semper virginis Mariae ac nomen dicti Ordinis nostri dilatandum proprietatem in Backenrode cum loco eodem & ædificiis cum XXIV Mansis dicto loco innexus & decimis eorundem mansorum denominatorum, remotis dictis Regularibus & monialibus, qui primo ipsum locum minus digne tenuerant ac incorrigibiles extiterant, in manus Venerabilis Domini Dethmari Abbatis & congregationis in Isenhagen obtulit & assignavit ad collocandum in eodem loco Backenrode Conventum monachorum Cistertensium Ordinis, non recompensationis cuiuslibet rei temporalis, sed divinæ remunerationis intuitu, donationeque contulit liberali pariter & solenni cum omnibus attinentiis suis & utilitate, si qua tunc fuit vel habere poterat in futurum cum disterminationibus tam in pascuis, quam in pratis, paludibus, aquis & punctionibus ab omni advocatione libera & servitio, judicio, angariis & perangariis, sicut idem ordo suas possessiones consuevit liberas posidere secundum privilegia Pontificum Romanorum atque Regum Ordini illi clementer indulta, participationem & communionem in sylvis & nemoribus, quam dictus locus Backenrode qualunque jure possidet, ejusdem Episcopi donatione simul & ipsius Capituli auctoritate dictis monachis de Isenhagen possidendum: perpetuo confirmavit hoc tenore ipsum Ordinem collaudans & dicens: *In nomine sanctæ & individue Trinitatis Amen.* *Johannes Dei gratia Episcopus Hildensemensis omnibus in perpetuum.* Etsi debitum pastoralis sollicitudinis postulat ac requirit, ut omnium Ecclesiarum utilitatibus sollicitate insistamus, illarum tamen commoditatibus, studio benignitatis, assumto charitatis zelo, monemur propensius provideri, quorum filii & sibi per meritum & aliis proficiunt per exemplum. Gratulantes enim ad memoriam revocamus, qualiter haec vitis generosa Cistertensis Ordinis multiplicavit suavitatem odoris & in florem honoris & honestatis longe lateque palmites virtutum expandit ac multiplicatum fructum in vitam æternam feliciter reportavit. Cum igitur ejusdem Ordinis titulus per dispensationem divinam adeo insignis sit, quod ubique venerabilis habeatur & dilecti filii Abbas & fratres Monasterii Isenhagen, quos in Backenrode locamus, quod nunc monasterium Novale Sancte Marie dicitur Ordinis Cistertensis, cuius in eodem loco fundatores esse vel fuisse gaudemus conversatione & vita die & nocte divinis sedibus occupantes, carnem suam cum vitiis & concupiscentiis pro Domino crucifigant & in præfato loco elegerint instituere, auctore Deo, Conventum Ordinis sui de novo; Nos, qui divinæ inspirationis gratia favente debemus semper secundum desiderium faciendi,

quæ

„quæ oculis Domini sunt accepta , dictorum Abbatis & fratum necessitatibus obviare vo-  
 „lentes, universa bona cum omnibus eorum proventibus & attinentiis in campis, agris, vil-  
 „lis, pascuis, areis, fluminibus, paludibus, piscationibus & nemoribus, molendinis &  
 „aliis universis, quæ prædicta Ecclesia Backenrode ab initio & ab antiquis temporibus usq;  
 „in hodiernum possedit pacifice & quiete ( quibus etiam fratres Ordinis S. Augustini, qui  
 „extiterant in Ecclesia memorata , sed amoti culpis suis exigentibus , renunciaverunt plane  
 „& unanimiter coram nobis, multitudine clericorum & Laicorum adstante ) de Capituli no-  
 „stri beneplacito & consensu , titulo donationis donamus Abbati & fratribus jure perpetuo  
 „possidenda , quemadmodum Ecclesia in Backenrode dinoctitur possedisse, ut prædicti Ab-  
 „bas & Fratres in sancto otio & quiete ad cultum Dei & ad honorem ejusdem genitricis va-  
 „leant liberius sanctis orationibus & devotis obsequiis insistere & vacare. De certo scientes,  
 „nos ex hoc illi placere, qui eorum acceptat placitum famulatum , humiliter & devote ro-  
 „gantes , ut sumus participes bonorum omnium, quæ ibidem per ipsos in eleemosynis, ora-  
 „tionibus, vigiliis & in missis fuerunt procurata. Et agent anniversarii nostri diem, sicut obi-  
 „tum fratrum suorum peragere consueverunt. Hæc omnia, ut gesta & peracta sunt circa  
 „translationem istam, Alexander Papa confirmavit, statuens, ut dicta Ecclesia Monasterium de  
 „Novali sancte Marie a modo denominaret publice & privatum.

*VI. De adeptione possessionis Backenrode & de Ossibus confessoris  
 Christi Alradi.*

Completis itaque ab incarnatione filii Dei , Domini nostri Jhesu Christi 1159, quinto de-  
 cimo vero anno post adventum Conventus in Isenhagen, & ab institutione cellæ Ca-  
 nonicorum regularium in Backenrode 134 ipfisque in aliis locis sui Ordinis per eundem Do-  
 minum Episcopum collocatis illis, qui noluerunt ordinem Cistertensem suscipere, cunctis  
 quoque rite dispositis, venit tandem conventus noster de Isenhagen in hunc locum Backen-  
 rode ad serviendum Domino Deo & sancta ejus genitrici Marie secundum regulam Sancti  
 Benedicti atque sui ordinis disciplinas. Cœperunt autem properare in mensē primo videli-  
 cet Aprili, in quo & filii Israel de Ægypto in terram promissionis festinabant. Venerabilis  
 vero Dominus Dethmarus primus Abbas cum post labores cum conventu tandem resedisset,  
 cœpit satis religiose cum fratribus conversari in omnibus justificationibus & mandatis Domini  
 & sanctæ regulæ. Et quia in toto corde requirebat Dominum, Domino providente ne-  
 cessariis habundabant. Nam super ea, quæ laboribus manuum suarum acquirebant, multi  
 eorum devotione delestat, tam clerici, quam laici pro suarum animarum salute eisdem in  
 temporalibus providebant. Unde primus & ipse idem Dominus Episcopus liberaliter dedit  
 eisdem fratribus 32 mansos novandos in Westerholte, atque de eleemosynis fidelium plurima bona  
 comparata sunt in illis diebus, quatenus absque penuria temporalium Domino Christo in  
 sancto otio, sublata sollicitudine vitiosa devotius deservirent. Porro Ecclesiam in Isenhagen  
 in terminis suis in manus fundatorum atque ejusdem Domini Episcopi simpliciter resignarunt.  
 Qui itidem postea alium Conventum æque Cisterciensis Ordinis Sanctimonialium inibi statuerunt,  
 usque in hodiernum diem. Omnia quoque bona dictæ Ecclesiae Isenhagen dudum assignata  
 simpliciter dimiserunt prater solam curiam Boela cum attinentiis suis, quam quod per industriam  
 viri Dei Alradi militis atque conversi, cuius superius memoriam feci, olim duces liberali-  
 ter propter Deum contulerant conventui, voluerunt dictam curiam etiam nobis permanere  
 post discessum, ut orationum nostrarum participes semper permanerent. Offa vero præfati  
 viri Dei Alradi secum detulerunt de Isenhagen, sicut filii Israel offa Joseph, & sepelierunt  
 ea ante fores oratrii sub turre lapidea, ubi usque ad tempora nostra juxta traditionem Senio-  
 rum miraculis atque apparatu sepulchri testantibus quiescere perhibebantur. Quam transla-  
 tionem ossium suorum atque Conventus de Isenhagen idem beatus vir longe ante dum vive-  
 ret, prophetasse dicitur. Plura vero ad ejus sepulchrum siebant miracula tam in Isenhagen,  
 quam hic, ut etiam usque hodie titulus antiquus sepulchri ejus testatur. Unde & communiter se-  
 dicunt in Isenhagen adhuc eundem corporaliter habere. In præfato autem loco, quo hic po-  
 fitus fuit ante majorem januam multa antiquitus dicuntur facta miracula. Unde & concursus  
 erat hominum propter publicam stramat, quæ per monasterium tunc temporis terebatur, te-  
 nentes Alradum, ac si fuisset canonizatus. Qui concursus sic permanit usque ad tempora  
 Domini Hermanni Abbatis de Peynis, qui non sustinens frequentiam concurrentium clausit ianuam  
 illam muro, & obstruxit aditum ædificiis sibi necessariis. Post multos annos Abbas Hinricus  
 cum totam submovisset Ecclesiam, offa hujus Sancti effodiens, tulit ea ad honestiorem locum,  
 videlicet ingredientibus capitulum ad dextram intra altare, quod ibi posuit, & ingressum.  
 Sed omnia ejus offa non invenit. Perpicuum ergo est, aliqua de his in Isenhagen pro de-  
 votione fidelium, prout dicitur, ibi remansisse.

VII. *De loci dispositione & nominis mutatione & de  
Abbatibus.*

**V**Erum quia monasterium Backenrode non erat dispositum secundum consuetudinem Ordinis, ideoque ipsum aptabant, in quantum potuerunt. Oratorium autem, quod invenerunt, vetustum erat, nec tamen adhuc ab initio aliquando consummatum mole testudinis prægravatum, ignibus, ut patuit, conflagratum, & rimis patentibus casum cotidie minabatur. Quod quidem oratorium constructum & inceptum fuerat tempore Dominorum Canonicorum regularium, destructa prius Ecclesia, quæ in villa præfata Backenrode in loco eodem reperiebatur, remanente tamen turre prægrandi, à qua dictam Ecclesiam ædificare tunc incipiebant & non perficiebant. Quæ quidem turris superius dividebatur in duas juxta consuetudinem plurimarum Ecclesiarum. Quas quidem duas lapideas turres Conventus noster de Isenhagen veniens destruxit usque ad medium, inferiora turris dimittens & tecto rursum protegens, & super eo campanile ordinis statuerunt, quia idem oratorium debito loco campanile sustinere non potuit absque periculo propter suam declinationem. Hortulum etiam paschalem in medio ab absida oratorii, cui adhaesit, separantes & obstruentes fenestras Oratorii ab illa parte fecerunt locum congruum lectioni, more ordinis nostri. Qui locus postea tempore Hinrici Abbatis latior factus est per totum maxime ante Capitulum, constructo novo oratorio. Cumq[ue]a tamen alia ædificia habitationis fratum remanserunt, sicut adhuc ad aquilonem oratorii. Fenestræ vero per ambitum versus hortulum erant cum rotundis pilariis, uti videtur ad sanctum Michaëlem in Hildensem, quæ tamen postea aliter dispositæ sunt, uti jam apparent. Augebatur cotidie numerus fratrum se ad Deum convertentium & benedixit eis Dominus in benedictionibus dulcedinis & devotionis, in ore cœli & pinguedine terræ, dans pacem filiis pacis per circuitum & favorem. Unde & diversa officia atque artes secundum regulam infra monasterium operabantur. Idcirco latius, quam nunc appetet, ædificiis officinarum extensum monasterium ipsum fuisse relationibus seniorum & vestigiis ædificiorum cognoscimus antiquorum. Venerabilis autem Dominus Detmarus Abbas, qui prius monasterium sulceperat & aptaverat Isenhagen, missus ibidem de Ridageshusen, cum Conventu, ut dictum est supra, cum & hoc monasterium aptasset cum omnibus & acceptasset donatione liberali à dicto Domino Johanne Episcopo sylvam Westerholte ad novandum, ubi nunc nova curia situata est, conventumq[ue] Dei in timore ordinasset, in observatione regulari perrexit ad Deum Deorum in Sion, ut mercedem laborum suorum ab ipso externaliter perciperet lætabundam, sepultusque est in capitulari loco juxta Ordinis statuta. Post quem suscepit regimen monasterii Dominus Johannes Acko cognomento, qui cum brevi tempore præfuisset, successit eidem alias Johannes. Cui successit Dominus Ludolfus Kromer. Post quem ordinatus est Albertus de Indagine. Quotam temporis regiminis, similiter & actus horum invenire non potui. Et post illos Dominus Widekindus dictus de Vestfede sexto loco electus est natus de Brunswick, cuius parentes, fratres & consanguinei extruxerunt capellam anteporiam sub patrocinio sanctorum Martyrum Cosmae & Damiani. Similiter & altare converorum in Absida australi oratorii antiqui cum perpetua vini atque candelarum procreatione, atque Missali. Et multa alia bona fecerunt monasterio & plures eorum se ipsos monasterio obtulerunt. Fluxerunt autem ab adventu Conventus usque ad hunc Widekindum 34. anni plus minus. In quibus monasterium sensim profecerat in moribus & ædificiis juxta ritum ordinis & dispositionem. Et sicut moribus innovabatur conversantium, ita & mansiunculis, imo etiam prisco prope nomine mutari coepit. Nam ex quo, ut præmissum est, fuit institutum, quod ipsum monasterium à modo vocari deberet Novale sanctæ Mariæ pro & loco Novale Backonis vulgares similiter videntes monasterii meliorationem intus & extra, loco Backenrode ceperunt dicere Betzingerode, quasi melius novale, id est Beteringerode, quanquam Novale sanctæ Mariæ melius & devotius sonaret, quam novale Backonis; cum beata Maria perpetua virgo, genitrix Dei sit nobilissima creatura post Deum, totiusque nostri Ordinis patrona gratiosa, præ omnibus Sanctis ab Ordine nostro electa. Nos ergo, Fratres charissimi, ita nos exhibeamus in omnibus observantiis, ordinis & obsequiis beatæ virginis, ut locus iste propter nos dignus hoc nomine habeatur. Non enim propter locum elegit nos Dominus, sed locum propter nos, ut Novale sanctæ Mariæ diceretur. Quod quidem nomen post multos annos sub Hinrico Abate, cum nova Ecclesia primitus hic dedicaretur à Domino Episcopo institutum est, vulgariter à modo dici debere Marienrode, linguaque vulgari, uti postea patebit. Quapropter non efficiamur intra nos terra maledicta, quæ spinas & tribulos germinet peccatorum, sed terra bona Spiritu sancto purgata à sentibus peccatorum, parataque ad omne opus bonum, quæ fructum afferat in patientia. Faciamus igitur juxta consilium Prophetæ dicentis: novate vobis novale & nolite ferere super spinas. Nam spinis & tribulis purgare novalia deber, qui serit, ut semen fructificare queat. Quod ut facere & perficere valeamus, supplicamus eidem beatissimæ Dei genitrici, dicentes: Virgo novale tuum purges renovando per annum, ne male succrescat, sed bona multa ferat; Inserere virtutes decisæ sentibus horio purgato poterunt fructus.

*fructificare rose.* Sique etiam ipsa virgo gloria tempore messis, hoc est, in extremis nostris, nos tanquam fructum sui novalis maturum collectura advenerit, animas nostras velut delicatos atque pretiosos fructus suscipiens sui ventris fructui benedicto offerat Jhesu Christo. Sic cum illi primi patres nostri in hoc loco conversabantur in omni religione perspicui, ut digni nomine & protectione sancte Mariae redderentur in omni castitate, obedientia & paupertate charitatis Dei vita ipsius exempla consequentes, ut premii ipsius mererentur esse confortes. Nam qui in hoc loco digne non vivunt, nec se corrigerem proponunt, in hoc monasterio usque in finem, ut plures expertum est, finaliter non permanebunt, neque diem extremum hic concludere possunt. Devorat enim locus habitatores suos, ut patet de his, qui locum minus digne tenuerunt, quemadmodum & de terrâ promissionis legimus, sic & hic experimur. Dominus autem *Widekindus* cum administrasset dies suos & multa bona monasterio procurasset, obiit anno Domini 1308, sepultusque est in loco capitulari cum praecessoribus suis. Cui successit Dominus *Johannes dictus de Heynde*, qui comparavit bona villa *Tossum* cum omnibus pertinentiis & juribus suis à Domino *Henrico Episcopo Hildesemensi*, dicto *de Woldenbarg*. Qui & castrum *Sturwolde* obtinuit vi & incipit. Dedit autem Dominus Abbas pro dictis villa bonis trecentas marcas puri argenti, quæ venerunt ab Ecclesia Hildesemensi in emtionem oppidi *Bockenem*. Tempore autem istius Episcopi facta est non minima guerra inter ipsum & civitatem propter locationem dicti castrum, unde & plurima damna provenerunt. Post obitum dicti Domini *Johannis* suscepit regimen Monasterii Dominus *Johannes dictus de Munstede*. Qui postquam pro tempore præfuisset, obortus quibusdam causis & contentiobus, depositus fuit à Dominis *Abbatibus de Riddagesbusen & Amelungsborn*, unde multa damna monasterio provenerunt. Qui cum multas lites coram primoribus Ordinis habuisset, tandem accepta provisione alibi professus est. Cui successit dominus *Johannes dictus de Borsem*. Qui cum obiisset, electus est in locum ejus Dominus *Henricus de Stenme* anno 1328. Sub his autem tribus Abbatibus cœpit monasterium aliqualiter in observantiis declinare & per consequens primum debita contrahere propter dissensiones, quæ factæ sunt per depositionem dicti domini *Johannis*, atque discordiam præfati Episcopi & civitatis, & plurima alia mala, quibus monasterium molestabatur à malis hominibus servos Dei ignorantibus & persequentiibus. Domino vero Episcopo defuncto, ordinatus est in locum ejus Dominus *Otto, ipsius consanguineus*, qui & in bello triumphavit de quibusdam terram invadentibus in *Helpersbarg* super *Tzarstede*. Insuper consummavit castrum *Sturwolde*, quod prædecessor suus inchoavit.

### VIII. De Schismate Domini Hinrici Episcopi & malis inde secutis & de ipsius reconciliatione cum monasterio nostro Marienrode.

**S**uper omnia mala nostri monasterii est malum schismatis ecclesie Hildesemensis, quod hoc tempore exortum est, unde multa damna toti provinciæ exorta sunt per plures annos, maxime monasterio nostro, unde & desolatio venit ipsius cenobii nostri fere per quinquaginta annos usque ad regimen Domini *Hermann de Peynis Abbatis* perdurans. Nam anno Domini 1331 adventus autem conventus nostri in hunc locum 72 vel citra, cum Dominus *Otto Episcopus Hildesemensis* antedictus, qui successerat Domino *Hinrico*, in curia Romana obiisset & provisum esset Ecclesiæ Hildesemensi à Domino Apostolico Johanne 22. de persona Domini *Erici de Schöwenborg*, canonici ignorantibus, ut dicebant, hujusmodi provisionem factam domino Erico, elegerunt quendam *Hinricum de Ducibus Brunswick*, præfatæ Ecclesiæ Canonicum in Episcopum Hildesemensem. Qui electioni consentiens obtinuit eam auctoritate metropolitani. Unde exortæ sunt lites, guerræ & deprædationes ecclesiarum & monasteriorum in terra & schisma non modicum & periculose. Nam dicto domino Erico ab Apostolico proviso adhæsere omnes boni, civitas ipsa Hildesemensis & quidam de canonicis & clericis, aliqui etiam de ministerialibus. Alter vero è contrario potestate suorum fretus, videlicet fratrum suorum *Alberti, Episcopi Halberstadiensis & Ducus Ernesti de Brunswick* & aliorum sibi adhærentium obtinuit castra & multa mala perpetravit per oppressiones clericorum & religiosorum. In qua tempestate monasterium nostrum vix in tribulationibus subsistere potuit. Defuncto autem Domino *Hinrico Abbe*, sive resignante, ordinatus est dominus *Johannes dictus de domo*. Et convenienter forte hoc nomine dictus est, quia malis undique crebrescentibus atque prævalentibus tam ipse quam conventus dispersi sunt per domos Ordinis. Nam ab hoc visitante Domino *Friderico Abbe de Riddagesbusen*, anno Domini 1347. una cum Domino *Ludolfo de Amelungsborn*, de consensu aliorum patrum Ordinis majorem numerum fratrum emiserunt, paucis in monasterio remanentibus propter debita & spoliationem bonorum monasterii. Præfatus autem dominus *Johannes Abba II.* hujus loci propter imminentes tribulationes cernens, se non posse proficere, postmodum resignavit & transtulit se in monasterium *Campi sanctæ Marie* ad fratres cum se transmissos, ibique obiit & sepultus est, ut infra patebit. Episcopus autem cum se opposuisset in omnibus Apostolico, exulare fecit clericos, qui prophanare nolabant, multaque alia mala in alios & in religiosos operabatur propter generale interdictum ab

Apo.

Apostolico per totam diœcesin strictissime demandatum. Multos autem Curtianos cum gratiis Apostolicis venientes jussit occidi. Insuper & inimicitias cum civibus graves exercuit, eo quod in ipsum non consentiebant etiam usque ad consumtionem rerum suarum & castorum impignorationem. Cives contra prævalentes, solemnem illam stramat ante civitatem versus occidentem, quæ *Dam* dicebatur, ad eundem Episcopum pertinentem post longas concertationes dolo capientes totaliter destruxerunt usque in hodiernum diem. Interim Episcopus fatus auxilio suorum collecto exercitu prævalens cives oppressit, & victoria potitus non paucos hostiliter prostravit. Interim domino Erico viam universæ carnis ingresso coacti sunt eundem cives & alii, qui cum eis erant, recipere, licet inviti. Quibus se ad emendam offerentibus, cogitavit ipse Episcopus aliquid constituere, unde civium pertinacia futuris temporibus retunderetur. Erat autem illo in tempore villa *Tossum* supradicta cum omnibus utilitatibus monasterii nostri, pertingens usque ad Industris flumen cum solemani molendino & sylvarum utilitate. Separavit dictus Episcopus, cum sibi idem molendinum aptus locus videretur ad castrum ædificandum, tyrannico more agens, idem molendinum præripiens absque consensu Abbatis & Conventus, castrum ibidem extruere pertenavit cum appropriatione villæ & omnium bonorum ibidem. Nec in hoc aliqualiter Abbatem five Conventum attendit. Cumque hujusmodi damnum monasterii ad aures Capituli esset delatum, diffinitum est, ut omnino tali præsumptori resisteretur, mediante justitia. Et propter hoc etiam, si necesse foret, bona monasterii tam mobilia, quam immobilia distraherentur. Quod tunc quidem de multis monasterii bonis & postea factum esse constat. Propter quod desperatae res omnibus videbantur, quod unquam monasterium nostrum in pristinum statum restitueretur. Molendinum igitur una cum bonis attinentibus præripiens, castrum cœpit ædificare expensis civium Hildesemensem, quos paulo ante devicerat. Dominus vero *Johannes Abbas* una cum Conventu, consilio & auxilio Patrum Ordinis causam incepit contra Episcopum coram Apostolico Domino *Papa Benedicto XII.* qui erat assumptus de ordine nostro, Clenodiis monasterii prius deportatis in *monasterium Lucka*. Convictus igitur Episcopus excommunicationis & interdicti sententias iterum incidit cum complicibus suis super hoc, quod iam erat interdictus & excommunicatus per totam diœcesin suam generali interdicto. Erat tunc temporis quidam Canonicus Ecclesiæ Hildesemensis dominus *Barwardus dictus de Huden*, qui cum quibusdam aliis non consenserat electioni Hinrici Episcopi, propter quod in curia Romana conversabatur. Hic erat homo sapiens & bonus defensor religionis & cleri. Qui causam nostram tanquam fidelis advocatus suscepit fideliter usque in finem defendendam. Quod & indefectabiliter perficiebat. Idem vero tyrannus iam sententius ex parte etiam monasterii innodatus, multifarie fecit pertentari xeniis atque muneribus non paucis in Curia, sciens Romanos avaros, ut eosdem quoquo modo corrumpere posset. Sed frustra, quia prius sollicitudine vigilante justitia prævaluuit & non reperit locum iniquitas apud summum Pontificem, virum utique justissimum. Interim Dominus *Johannes* existens in monasterio campi Sanctæ Mariæ, ut prædictum est, defunctus atque sepultus ibidem. In monasterio tamen eodem dicitur, quod ibidem fuisset missus in dispersione non Abbas, sed monachus, sed postea apud nos absens, tanquam præsens in Abbatem electus & antequam rediret, ibidem defunctus fit atque sepultus. Cujus loco substitutus est Dominus *Robertus dictus de nova civitate* de civibus in *Honover* anno gratiæ 1348. Eo tempore monasterium erat quodammodo desolatum præter paucos fratres, qui monasterium custodiebant, terraque circum monasterium inculta remanebat. Et quamvis idem Episcopus esset nobis causa omnium malorum, nunquam tamen ausus fuerat monasterium invadere, & monachos abinde totaliter disturbare, quamvis semper optasset, ut nullus ibidem monachorum moraretur & ut bona monasterii suis vasallis distribueret. Dominus vero Robertus cum per aliquod tempus præfuisset, & in Honover in curia monasterii per tempus propter eandem tribulationem moratus fuisset, fatigatus laboribus Abbatiam resignavit. Cui successor dominus *Sifridus de Barumgerode*. Tandem dominus Apostolicus audiens dominum *Ericum*, quem ordinaverat Episcopum, defunctum, simulque considerans atque percipiens ab incolis terræ nostræ, quod nullus esset Princeps in circuitu, qui eidem tyranno se posset opponere, misertus terræ & diuturnæ patriæ desolationem, oppressionique pauperum, consensit eundem manere Episcopum, dum modo tamen Ecclesiæ pro rebellione satisfaceret, & cum Abbatे & monasterio nostro super damnis & injuriis se omni modo componeret. Videntis igitur ipse, quod Ordini resistere non posset, quamvis magna fatus potestate, victoriaque civium elatus, vocatis vicinioribus Abbatibus Ordinis cœpit cum eis habere sermonem super concordia, ut pro bonis villa *Tossum*, quæ occupaverat, bona æquivalenta in concambio recipere vellent, ut ipse Casam, quam cœperat ædificare, retinere posset. Super quo responsu tempus acceptum est à patribus & prorogatum. Interim dominus *Sifridus Abbas* undique pressus angustiis, fractusque pusillanimitate resignavit. Post quem suscepit regimen Dominus *Albertus*. Episcopus autem iam aliud impedimentum non habuit, nisi quod nondum satisfecerat monasterio, ut confirmationem à sede Apostolica & gratiam habere mereretur. Posuit ergo dictum monasterium removere, si aliter secum monasterio componere non posset. Tandem dominus Albertus locutus est cum patribus Ordinis, ut pro bonis ablatis alia æquivalentia

valentia

valentia bona sub concordia reciperentur; Quod & illis complacuit. Reversi igitur ad Episcopum, cum ponderassent bona ab eodem in concambio restituenda factis hinc inde super his tractatibus, annuerunt concordiae, dum modo tamen ipse per gratiam domini Papæ maneret Episcopus, ut bona illa proposita monasterio possint perpetuo incorporari, sicut prima fuerunt. Super quibus cum securitatem à Capitulo suo pro cautela percepissent, scripserunt advocatis & procuratoribus in curia super istis. Dominus vero Apostolicus de his non contentus rescripsit, Episcopum ad gratiam confirmationis non admittendum, quoad usque omnimodis monasterio satisfaceret & Abbatii, cui injuriam intulisset, supplicaret, eidemque Abbatii Episcopatum resignaret. Quod cum in Ecclesia Montis S. Mauriti factum fuisse, benignitatis gratiam consecutus est. Nam ut hoc factum domino Apostolico renunciatum est, confirmationis gratiam accepit. Et tunc bona, quæ nostro monasterio in concambio depositaverat, nostro monasterio perpetuis temporibus de pleno consensu capitulo sui confirmavit. Sunt autem hæc bona, primo molendinum suum proprium, quod obinde molendinum Episcopi vocatur cum omni jure, proprietate, feudo & censibus, quibus ipse & sui prædecessores idem molendinum percepérant, restitutum est loco molendini nostri, quod in Tossum habuimus super Indistriam. Pro agris vero villæ contulit novem mansos indecimales prope muros Alvelde. Super his & proprietatem decimæ ante valvam S. Egidii circa Honover. Pro Ecclesia vero in Tossum postea fecit nobis incorporari Ecclesiæ oppidorum Alvelde & Bockenham. Præterea amicus factus est monasterii usque ad diem mortis suæ. Cum igitur omnia hic ita essent placitata & conclusa, accepta reconciliatione & confirmatione à sede Apostolica, tandem post annos 23 accepit finem gravissimum interdictum totius patriæ, quod per tantum tempus duraverat: Conventus autem noster sive fratres pauci, qui Conventum presentabant, semper sub illo interdicto celebravit, cantando januis clausis. Incepit autem interdictum primo propter Episcopi rebellionem anno domini 1332. & finem habuit etiam ex parte monasterii anno Domini 1355. feria secunda post dominicam Lætare. Omnibus igitur post tanta nibila dissensionum & litium quasi lux nova visa est oriri super terram. Recepit igitur Ecclesia Hildesemensis omnia bona in Tossum, cum omnibus juribus & literis, & nos alia, quæ dicta sunt, loco illorum possidemus usque in hodiernum diem. Illis ab hoc tempore suum castrum expensis civium consummantibus, quod Marienborg usque modo nuncupatur. De illis vero Tossum, tantum retinuimus nobis jus in sylva & monte Tossum, & villa nostra Soddere.

*IX. De Abbatibus resignantibus post hæc & de personis domas. De alienatione reliquiarum B. Georgii, & de Adventu Domini Hermanni Abbatis.*

**A**bbas vero Albertus cum posthac resignasset, electus est iterum dominus Sifridus in regimen Abbatæ. Qui cum post duos annos iterum resignasset, propter infirmitatem, qua & mortuus est, successit ei dominus Bodo, qui fuerat Prior sius. Sed quia propter gravamina debitorum Abbatis proficere non potuerunt, & ipse post annum similiter resignavit. Plures autem de fratribus emisis obierant propter diuturnitates litis. Quo resignante ordinatus est dominus Ludolphus de Veltbem unus de monachis in Riddageshusen anno gratiæ 1360. Hic cum suo tunc Conventu, videlicet Bodone Priore, qui sius antecessor fuerat, Sandero de Heynde, Volcmaro Suppriore, Hinrico de Wobcke, Jordano de Obirghe, Conrado de Woltershusen, Hinrico Gustede, Hinrico Bute, tum Johanne Dinckeler, Simone, Hinrico Berckelinge, Hinrico Ungenstade, Johanne Wartbarge & Roberto de Gronauwe concordiam init, cum Magistro Hinrico de Renale Decretorum Doctore olim Abbe in Lucka & in Volkolderode electo, qui & erat capellanus domini Papæ, ut pecunia summam, quam à monasterio Volkolderode pro facienda sibi provisione occasione expensarum per ipsum factarum expenderet pro redimendis bonis nostris in Geinbusen, quæ impignorata erant, eaque per tempora vita suæ possideret, postea ad monasterium libera redirent. Et quod ideo ipsum tenere vellent in omnibus, tanquam seniorem Abbatem in omnibus gratiis sibi per dominum Papam concessis. Tempore etiam hujus Ludolphi Abbatis quidam Curtisanus sub Gregorio II. Johannes Haddeshusen nomine obtinuit Ecclesiam in Alvelde, quam tamen ab eodem per tres sententias diffinitivas in Curia Abbas recuperavit & eundem Johannem in expensas condemnavit. Hujusmodi auctitata habentur circa privilegia domus. Post quæ resignate Domino Ludolpho, abbatizasse hic dicitur idem Hinricus de Renale per breve tempus. Et postea turpiter vincitus in Hildesheim à Sandero de Heynde, & sic ductus in Everstein. Post quos ordinatus est hic dominus Hermannus dictus de Kissenbarge, capellanus domini Thiderici Abbatis in Riddageshusen. Temporibus ejus placitatum est cum præfato Magistro de Renale & fratre Sandero super violenta manuum injectione. Eodem tempore quidam Cunradus de Duerstadt Curtisanus cum in Curia obtinuisset Ecclesiam nostram in Alvelde, occisus est in hospitio in civitate Hildesem à præfato fratre Sandero monacho, tunc rectore novæ curie. Ob hoc ipse exul factus, tandem pœnitentiam agens in Riddageshusen mortuus est. Post mortem etiam Hinrici Episcopi de Brunsvic dominus Papa quendam Doctorem de Ordine Prædicatorum misit & ordinavit Episcopum, qui dicebatur

tur dominus *Johannes*. Qui videns superbiam ministerialium, cum ipse Monachus esset, dimisit episcopatum domino *Gerardo* tunc Decano, dicto *de antiquo monte*; qui videlicet dominus *Gerardus* vir bonus & doctus, nec non & armiger imperterritus, multa bona fecit in Ecclesia Hildeshemensi. Nam postquam victor fuerat in bello & cepisset tam *episcopum Magdeburgensem*, quam *Halberstadiensem* cum pluribus alijs nobilibus, qui terram suam invaserant, ædificavit, *Cartusiam prope Hildesem*, ubi & quiescit. Dominus vero *Hermannus Abbas* assumptus est in Abbatem in Riddageshusen post mortem domini *Theodorici*. Hic quamvis bonus esset clericus & religiosus, in nullo tamen potuit monasterium nostrum relevare. Rediens itaque de Riddageshusen anno Domini 1372 constituit hic Abbatem Dominum *Conradum*. Qui cum post breve tempus defunctus esset, successit ei dominus *Hinricus Butike*. Tempore hujus Abbatis Hinrici facta est *alienatio reliquiarum beati Georgii* de monasterio nostro hoc modo. Nam *Carolus quartus Romanorum Imperator*, qui tunc tenuit curiam in *Tangermunda* super Albim, audiens desolationem lamentabilem hujus monasterii nostri propter nimietatem debitorum, simulque de reliquiis beati Georgii martyris, quas Ecclesia nostra ab antiquo possidebat, petuit dominum Hinricum Abbatem & dominum *Gerardum Episcopum Hildeshemensem* pro hujusmodi reliquiis, ut sibi darentur. Erant autem reliquiae istæ cor & lancea ejusdem martyris. Quas cum tandem de consensu Conventus & Abbatum Ordinis, consilioque domini *Gerardi Episcopi Imperatorij* oblatas humiliter acceptasset, percepit iterum & de manu ejusdem Sancti, quam & magis omnibus aliis habere concupivit. Sed nolentibus Domino Episcopo, qui tunc præsenserat in Curia regis, & Abbatibus per gratiam Dei manus ipsa nobis permanit usque in hodiernum diem. Obtulit idem Serenissimus Imperator pro remedio animæ sua, suorumque progenitorum propter Deum ad perpetuam memoriam monasterio nostro trecentas sexagenas grossorum *Pragensium* pro recuperandis veteribus possessionibus vel novis perpetuo comparandis, committens dicto Domino Episcopo in præsentiarum constituto eandem pecuniam in eleemosynam datam, non alias convertendam, simulque auctoritate *Cæsarea* constituit eundem Episcopum cum successoribus suis defensorem, Advocatum & propugnatorem ejusdem nostri monasterii perpetuis temporibus permanendum. Ex hac ergo pecunia Ecclesia nostra non modicum sublevata, gravior census usurarius redemptus est, & nos post tantam depauperationem consolati sumus, Deo totius consolationis stellam spei & misericordiæ in nos fundente. Factum est autem hoc anno Domini 1377. tempore hujus Abbatis Hinrici quidam curtisanus dictus *Jobannes Annexen* obtinuerat in curia Ecclesiam nostram in *Bokenum* tempore *Urbani quinti*, cum esset capellanus noster ibidem sive plebanus dominus *Gerardus de Melden*, qui tamen curtisanus post multas concertationes non profecit. Tempore illo cuperunt primo cives Hildesemenses greges minare de *valva Dammonia* (\*), quod antea fieri non consueverat. Unde multa inconvenientia cœperunt oriri monasterio nostro, ut infra patebit. Cives quippe non habentes propria pascua, nec jus extra valvam illam, nostra & aliorum pascua depascabant. Resignante autem domino *Hinrico Butken*, ordinatus est loco ejus dominus *Hinricus cognomento Schlichting*; qui cum & ipse post annum similiter resignasset, cum aptior in Conventu non esset, dominus *Hinricus Buteke* restitutus est in Abbatem. Non enim poterant in Abbatia proficere propter nimietatem adhuc debitorum, magis autem propter inordinationem fratrum, qui sub inordinationibus quodammodo senuerant, nec ad plenum corrigi poterant. Unde & cœpit tardere Venerabilem dominum Episcopum *Gerardum* super illa inordinationem & per consequens desolatione monasterii. Ideoque scripsit domino de Riddageshusen, quod loco nostro aliter provideret, quam hucusque fecisset. Sin alias, ipse vellet manum apponere & aliter monasterium ordinare. Insuper cum dominus *Hinricus Abbas* videret, quod non potuit proficere, ut prius expertus est, supplicavit eidem domino de Riddageshusen, quatenus de idonea persona sibi successore constituenda provideret, qui sciret, posset & vellet statum monasterii regere & ipsum reformare, & ipse libens cederet venienti. Venerabilis igitur dominus *Hermannus Abbas* in Riddageshusen, visitator noster una cum suo conventu cœpit tractare, quid iam amplius esset facturus, cum tanta circa monasterium iam peracta fuissent, nec tamen inde aliquis profectus appareret. Sed ne totum monasterium nunc perderet, si ejus dispositionem & ordinationem in manibus Episcopi dimitteret, de consilio sui conventus aliorumque patrum Ordinis concessit & dedit huic monasterio tres fratres sui conventus, videlicet fratrem *Hermannum* suum *Bursarium*, qui bonus erat religiosus, virilis & prudens in temporalibus, nec non & sufficientis literaturæ, qui iam est capellanus in Bründelo *Lapidiam* sua sollicitudine compleverat, fratrem etiam *Henricum de Euesen*, virum per omnia religiosum & ordinem diligenter, satis etiam literatum & in studio Pragensi exercitatum, nec non & fratrem *Jobannem Oldendorp* dictum, virum æque literatum, dictatorem, optimumque scriptorem, qui multa & varia in Riddageshusen opuscula scripserat manibus suis. Qui licet fratres trepidarent, libenter tamen in domino confisi in his difficultatibus obedierunt. Non enim sine causa timuerunt, cum & monasterium sub tot Abbatibus per tanta tempora minime profecisse perciperent. Nam à tempore illo, quo dominus *Hinricus Episcopus Castrum Sturwolde* vi instituerat, & dominus *Johannes de Munstede* depositus fuerat per annos circiter LX & ultra XIII Abbates fuere, quia fervente prima guerra cum civi-

(\*) Id est *Damthor*.

civibus sub dicto Episcopo & dicta discordia per depositionem praefati domini Johannis Abbatis, insuper longo & diurno schismate & anathemate Hinrici Episcopi, Brunswicensis Ducis, spoliationeque bonorum monasterii, aliisque damnis, gravi usurarum impignoratione, debitorumque cumulatione nullus eorum potuit remanere in regimine, omnibusque videbatur res desperata de monasterii sublevatione & fratrum correctione, qui erant inveterati dierum malorum.

*X. De Adventu domini Hermanni de Peynis & de gestis ab eo, de ejus industria atque provisione ac ædificiis atque debitorum minuitione.*

Benedictus Deus & pater domini nostri Ihesu Christi, qui secundum magnam misericordiam suam regeneravit nos in spem vitæ, cum in octava Epiphaniæ anno Christi pueri nati 1379 nova stella nobis visa est oriri, quando dominus Hermannus de Riddageshusen praefatos tres fratres secum huc adduxit pro reformatione monasterii nostri, quod tunc misericors Deus oculis misericordiae respexit locum nostrum, ut benedictionem quoque daret, qui legem dederat religionis, quatenus post tantas inordinationes personarum, obligationes & impignorations bonorum, monasterium relevaretur, in quibus ultra 50 annos male jacuerat secura, per eosdem fratres tres, quasi per tres reges, Christo puero religionis munera deferentes, quorum tunc primum intra eos videlicet fratrem Hermannum, mediante electione canonica, licet renitentem in Abbatem nobis huic monasterio legitime ordinavit & assignavit. Qui quam industrious & virilis fuerit, sequentia declarabunt. Statimque idem Dominus Hermannus novus Abbas pro morum reformatione præfatum Hinricum Euessem fratribus in Priorem solum constituit, qui quam ordinatus & qualis Zelator Ordinis fuerit, & quam efficaciter fratres verbis & exemplis docuerit, eosque in observantiis regularibus educaverit, in hoc apparet, quod ipse ore adhuc quoque omnium nostrum prædicatur & dicitur esse auctor & institutor omnium simplicitatum & consuetudinum Ordinis, quæ adhuc in conventu fratrum usualiter observamus. Perseveravit autem idem religiosus vir usque ad tempora domini Johannis Abbatis per annos fere 33. *Frauer autem Johannes de Oldendorp cum per tempus fuisset cum domino Hermanno fidelis in omnibus sibi commissis, in legatione domini Gerardi Episcopi pro Carthusiensibus instituendis versus curiam Romanam obiit transmissus.* Videns ergo dominus Hermannus & considerans, quod sibi cura monasterii immutabiliter esset commissa, curavit omni nisi, quo potuit, ne sibi contingeret, sicut aliis suis prædecessoribus, ut infectio negotio Abbatiam relinquere cogeretur. Invenit autem hic locum ruinosum in ædificiis vetustate consumptis, debitis adhuc nimiis, ut dictum est, agravatum & usuris, monachis vix panem habentibus, quorum quidam erant tam perverse conversationis, quod nec digni quidem panis almonia viderentur, quos successive mittens ad alia monasteria ordinis, quibusdam apostantibus nec rigorem ordinis sufferentibus, hospites ordinis adventantes loco eorum retinuit propter divina peragenda, donec novitios contraheret, undecunque posset. Erat autem jam aliqualiter sublevata calamitas monasterii ab impignorationibus quibusdam gravioribus per præfatam eleemosynam Serenissimi Domini Imperatoris. Attamen debita domus adhuc, pro quibus bona monasterii erant obligata ad usuram, erant eo tempore mille & viginti marcas. Bona vero ad vitam obligata mille marcas sex minus. *Debita ad manus, viginti marcas, debita grangiarum sexaginta marcas,* sicut in inventario domini de Riddageshusen tunc comparato usque hodie invenitur. Multa vero bona immobilia in ipsis infortuniis perpetuo vendita sunt atque distracta. Calices etiam & libri obligati fuerunt, attamen Deo providente thesaurus incomparabilior remanserat, pretiosior videlicet, reliquie sanctorum, exceptis his, quæ, ut supra dictum est, Domino Imperatori sunt oblatæ de S. Georgio. Quapropter idem dominus Hermannus Abbas de Riddageshusen voluit pro emenda alienationis harum reliquiarum, ut de eodem sancto martyre festum duarum missarum haberetur, ne id quod de necessitate factum est, agentibus & consentientibus aliqualiter imputaretur. Harum omnium reliquiarum nostrarum pars maxima estimatur, quæ à canonicis regularibus, qui ante nos locum tenuerant, cum quibusdam etiam libris nobis hic relicta est pariter & dimissa. Considerans insuper dominus Hermannus divina officia fuisse neglecta, spem reparationis de relictis reliquiis concipiens sanctorum, ante omnia procuravit, ut divina solito strictius in Ecclesia persolverentur, iramque Dei loco juste superinductam divinorum instantia mitigaret. Nec fecellit eum intentio sua, dum ipsius regimine & tempore monasterii observantia sit reformata. Vedit quoque monasterium latum & extensum per magna ædificia & protunc inutilia, & quod non sufficeret ad illorum tecta resarcienda, quæ tamen olim propter diversas officinas erant extructa, non pauca de illis diruit magis à monasterii habitatione distantia & ideo periculosiora & de monasterio fecit monasteriolum & de materiis eorundem utiliora construxit. Unde & accusabatur apud Dominum Episcopum & Abbates Ordinis super dissipacione ædificio-

fiorum monasterii. Quod cum tam ab Episcopo, quam à Patribus perspectum esset, accepta ratione cessaverunt ab eo. Defendebat etiam se ab exactionibus, servitiis & petitionibus tam Episcopi, quam castrensum in pecuniis, curribus, equis & canibus, venatores & armigeros quoscunque excludens. Unde & non modicas indignationes s̄epius & pericula deportavit. Audacem enim eum sua paupertas fecerat, juxta illud: cantabit vacuus coram latrone viator. Attamen passus est damna frequenter in combustione grangiarum, villarum, & spoliis pecorum & equorum. Et quum sibi alia defensio non adesset, etiam sacramentum Eucharistiae Sacramento se & suos committebat. Unde aliquando ad proximum castrum cum fratribus cum Sacramento veniebat & animalia monasterii referebat. Contendebat etiam cum civibus Hildeshemensibus, qui terminos & pascua monasterii gregibus suis devastabant. Unde & vice quadam cum expertinacia atque proposito damnum sibi in *bladis* inferrent & desistere nollent, ipse pro armis Sacramentum in manibus suscipiens exivit ad eos cum fratribus usque ad montem lapideum, ubi damnum monasterio inferebant. Rustici quoque per circuitum & quasi totum vulgus contra eum movebantur, eo quod de licentia Episcopi avertiebat vias communes, quae factæ erant per monasterium tempore desolationis suæ, versus sylvam faciens fossata percurrentis monasterii atque piscinas in capitibus viarum. Fecit quoque inter alias illam grandem & profundam piscinam in horto circa cœmeterium, quâ & partem antiqui cœmeterii occupavit, cuius aggerem vix per plures annos complevit. Ipse est, qui singulariter fecit, ut sit memoria ejus in benedictione, quia bona ad usuram obligata laboribus & industria redemit aut arte ad *vitalitatem* perduxit. Fuit quippe homo agricola ac multa sevit & messuit, multaque pecora nutritivit, unde pecuniam copiosam multoties summavit. Venerabilem vero dominum Gerardum Episcopum semper fautorem habuit, qui etiam causa adventus ejus fuerat, ut supra dictum est, maxima. Qui etiam Episcopus in monasterio nostro suum confessorem de fratribus nostris tunc habuit. Docuitque semper idem dominus Hermannus exemplo suo dominum terræ habere fautorem, quocunq; modo possemus absq; tamen præjudicio libertatis monasterii. Idem etiam dominus Hermannus multa ædificia nova construxit, licet minus pretiosa. Primo capellam in *Sodder*, in cuius dedicatione se ibidem fecit benedicti ab Episcopo; item capellæ in nova curia, in monasterio vero illam magnam & altam domum lapideam ad aquilonem monasterii de materiis destrutorum ab eo ædificiorū inutilium, unde tunc fama exitit, quod castrum ædificaret; Item ad orientem aliam eidem domui contiguam, in qua constituit *stabam* fratribus; item granarium grande prope eandem domum ad occidentem; Granarium etiam lapideum & forte ad austrum in cœmitorio prope Ecclesiam. Fecit & infirmatorium infra & dormitorium supra innovari, sed non perfecit, multaque alia construxit intus & extra monasterium. Super omnia vero & semper merito primitus sollicitandum restituit divina officia debite & ordinate juxta modulum suum, quæ iam antea per quinquaginta annos & amplius neglecta fuerant neque debite persoluta. Observationesque regulares cum suis novis fratribus cœpit innovare atque tenere. Pauperes clericos atque notos hinc inde recipiens, pusillos cum magnis, in novitios, sicque novum conventum constituit, postquam abierunt, qui sub rigore esse noluerunt. Redemit etiam calices atque libros obligatos, multaque alia bona pro monasterii reformatione operatus est. Dapsilis fuit atque splendidus in panibus. Ideoque multa cum suis in laboribus faciebat & ab omnibus magnificabatur, juxta illud Sapientis: splendidum in panibus benedicunt labia multorum & testimonium ipsius fidele. Et si quid excessit coram Deo, ex larga amministratione victualium venit. Ipse cum fratribus primus fecit & fodit fossata nostra circum monasterium, quæ dominus Johannes successor suus duplicavit. Per se quandocunque potuit in divinis cum fratribus fuit aut procuravit, ut sua absentia non obstante debite perficerentur. Qui postquam per annos circiter 28. utiliter rexisset & in bonum statum monasterium reduxisset, plenus multis laboribus & per consequens meritus, quia juxta Sapien-tem: bonorum laborum gloriosus est fructus, in bona confessione timoris Dei, protestans fratribus, ut viriliter agerent, in Domino & in fiducia ejus perrexit ad dominum [mercedem] laborum suorum, ab ipso recepturus æternam. Status autem monasterii in temporalibus, in quo ipsum reliquit, hic est. Debita ad manus 58. talenta *Penenſium denariorum*. Pensio ad vitam 24. marcæ. Debita novæ curiæ XVIII. talenta, quinque floreni, 4. chori filiginis, tria plaustra avenæ. Obiit autem anno gratiæ 1406. pridie Idus Aprilis, relinqnens conventuales novos & religiosum virum Hinricum de Euessem suum collegam, qui cum eo primo venerat, cum aliis 19. fratribus, jam bene instructis, quos ipse receperat; & de conversis quinque personas. Erat enim valde prudens in discernendis rebus, unde & à patribus Ordinis & ab aliis Prælatis atque personis pluries fuit invocatus pro negotiis terminandis.

#### XI. De domino Johanne Abate Harlsem & de factis ejus & de gestis tempore ipsius.

**B**Enignus Deus, qui incepit in nobis opus bonum per venerabilem dominum Hermannum non passus est rursum deperire, sed magis ut perficeretur, utque perficeret, gratiam mini-

ministravit. Ideoque curavit suscitare super nos pastorem alium loco ipsius, qui potuit & voluit reformationem exorditam non solum non dimittere, sed modis omnibus eandem augmentare, Dominum videlicet *Johannem dictum de Harlsem*, nomine etiam suo gratiam prærentem. Cujus frater carnalis proconsul civitatis Hildeshem post aliquos annos sub fratre Hinrico Abbatore factus est in loco isto conversus. Hic Venerabilis dominus Johannes ad ordinem se contulerat ante plures annos sub domino Hermanno, relinquens beneficia sua ecclæstica in Hildeshem & alibi, multumque profecerat in devotione sua & industria. Nam officium custodis Ecclesie habebat cum cura Capella in Holthusen, omnesque proventus frumentum illius villa, de quibus necessaria ipsius officii ministrabat. Occasio conversionis ipsius sic fuit facta. Cum enim tempore quodam ordinationis sacrorum Ordinum simul adesset, cum aliis coram Episcopo, videt personas adesse monasterii nostri pro ordinibus suscipiens ita honeste se gerentes in omnibus gestis, quod mirabatur. Cumque inquisisset, unde & de quo monasterio essent hujusmodi personæ & didicisset, quod de nostro monasterio essent, multum eorum exemplo movebatur. Et exinde cogitavit mundum relinquere, & ordinem & monasterium nostrum intrare, sicut & fecit. Qui cum curam totius monasterii suscepisset, anno domini 1406. cœpit ædificando perficere, quæ dominus Hermannus obitu preventus non potuit consummare, videlicet tecta monasterii super cameram Abbatis, quam de parte dormitorii fecerat dominus Hermannus. Item super Refectorium & super domum braxaturæ ante coquinam. Eandemque coquinam extruxit à fundo lapideam, sicut paralogrammum capitulum, Armarium, dormitorium, colloquium, auditorium & omnia cum teatris, trabibus atque tegulis perficiendo. Omnia quoque monasterii ædificia erant vetusta, ruinosa, rimis patentibus. Anno vero domini 1412. regiminis sui sexto cœpit ponere in cœmeterio extra oratorium fundamenta novi chori & Ecclesia futura per semicirculum, ubi summum jam habetur altare multum pretiosæ cavatis lapidibus cum capellis ex utraque parte in absida, sustollens murum à fundamento & à terra decem pedum altitudinis cum ambabus columnis, quæ ab intra dicto circulo adharent. Sed quod nimis sumtuosè opus inceptum fuerat, totaliter cessatum est ab eo, quod uno tantum anno sic incepserat. Sicque permanxit per annos decem & septem, nihilque interim amplius in eo ope factum est, & oratorium totaliter intactum mansit usque ad secundum annum fratris Hinrici Abbatis. Eodem tempore cœpit destruere antiquam domum nostram in curia civitatis Hildeshem & illam magnam, quæ nunc est, mediante fratre Alberto bursario suo redificare, quæ vix tribus annis completa est magnis expensis, [in] muris & lapidibus, ut apparet. Item cyphos lavatorii fecit novos fieri. Item ædificavit duas domos ligneas loco antiquorum pro hospitibus & infirmis circa cœmeterium & stubam fratrum cum domo in horto, ubi nunc est. Recuperavit etiam molendinum lapideis parietibus à parte orientali, piscinam etiam cum monte Quenenbarge primus incepit; item piscinam, quæ dicitur *de Taschendick* fecit. Fossata etiam quæ prædecessor suus primus circa monasterium fecerat, duplicavit; item procuravit fieri domum illam pergrandem lapideam in curia nova. Similiter & in Bocka domum illam ligneam & magnam. Fecit etiam scribi libros in commune fratribus & in ornamentum Ecclesie. Calicem solemnem deauratum pro solemnitatibus fieri procuravit. Contigit quoque temporibus suis à quodam clero dicto Fridericus Brugge man obtinere Ecclesiam nostram in Alvelde tempore Constantiensis Concilii sub Martino Papa 5. qui tamen clericus cum videret, quod de facili eam habere non permetteretur, quamvis magnos habuisset fautores, non ausus est aliquid attentare & conatus ejus ad nihilum redacti sunt, nobis non dormientibus. Eodem tempore Oldermannus in villa *Einem*, ut novam litteram habere possent, concederunt nobis gratiam recuperandi mansum nostrum ibidem cum area. Item dominus Johannes erat iam grandævus, cum ad regimen vocatus est, eoque rarius exiit monasterium. Habuit enim gnaros fratres pro officialibus, sed divinum officium diligenter procuravit, ubi cum fratribus, quandocunque potuit, aderat, procurans omnibus necessaria pro modulo suo, permanisque cum eis in omnibus observantiis regularibus, sicut à prædecessore suo domino Hermanno didicerat, multaque alia procuravit. Capellam in *Holibusen* altius sustulit muris ex omni parte, eamque de novo dedicari fecit. Emit quoque decimam in *Lathusen* & bona in *Bornum* trans *Honover* de eleemosynis fidelium & de pecuniarum summis monasterii, quas aliquando copiose colligebat, eo quod tempore suo quasi continue frumenta erant cara in foro, unde ipsas colligebat. Fuit etiam mediocriter bene litteratus, quietus & conscientiosus, patriæ pacem domino concedente suo tempore. Attamen circa finem vitæ suæ accidit illa magna guerra inter Episcopum, patriam & duces per tres annos continuos. Cum qua & magna venit mortalitas, ita ut in uno mense, videlicet Augusto, septem fratres tollerentur per pestilentiam. Præterea circa principium sui regiminis defunctus est venerabilis Pater dominus *Gerardus Episcopus Hildesheimensis* fidelis coadjutor domini Hermanni ad reformationem fideliter sibi assistens in suis oppressionibus. Cui successit dominus *Johannes de Hoye*, qui fidelitatem, quam fecerat atque tenuerat prædecessor monasterio semper exhibebat. Nec unquam consensit monasterium subintrare. Liberalis fuit dominus Abbas in receptione pauperum clericorum, cujus & omnino, qualis

K k k 3

fuit

fuit devotionis & vigoris, quidam pauper clericus expertus est. Cum enim affuisset in monasterio habitu laicali, more scholiarum, quasi per quindenam ad probandum, & vellet abire nec reverti; indicatum est Abbat, qui fecit eum venire ad se. Cui cum diceret, quare recedere vellet, respondit se velle iterato tradere ad studium literarum, & si Deus illi inspiraret, vellet reverti. Quamvis tamen hic scholaris sic non intenderet, imo nec reverti proposuisset; tandem dixit ei Abbas: ego vellem, quod maneres, quod si nunc nolueris facere, spero de domino, quod reverteris; quod quidem minime scholaris ille advertit. Cumq; quasi latus abiisset, ut suos codicillos tolleret, ut ad studium quantocius properaret, cœpit in via in tantum flere, quod non potuit se cohibere, & tantum dolere de recessu, quod eadem die petit amicos suos, quatenus rursum pro eo intercederent ab Abbatem; qui lati libenter fecerunt. Et Abbas eundem libentius recepit & dixit ad eum: ego scivi, quod ci-tius reversurus essem. Et sic firmatus ille & perseverans de gratia Dei hujusmoditentationem amplius non perceperit. Et quis dubitet, hoc factum ejus oratione esse perpetratum, cum esset devotus & quod sciebat, simpliciter alios docebat. Vir enim erat boni confilii, plures habens corporis infirmitates, maxime frigus corporis patiebatur, quod vix vestimentorum copia se defendere potuit. Attamen ivit ad labores manuum cum fratribus & qui primus in choro & in laboribus fuit. Fecit fieri per lapicidas fenestras lapideas per medium crucis in infirmitorio ponendas & in commoda Abbatis. Quas quidem fenestras successor suus postea posuit. Ipse vero postquam rexerat per annos fere XVI. migravit ad dominum, anno ejusdem 1422, conversionis sancti Pauli. Ipse dominus Johannes acquisierat sibi primus illam magnam fodinam lapidum propter futuram Ecclesiam, quam modice incepérat perficiendam. De qua etiam domus illa magna in civitate in curia nostra constructa est & quamplurima alia pro monasterii utilitate. Et tantam copiam fecit excidi lapidum & adduci in monasterium, quod quodammodo omnia plana monasterii lapidibus implevit. Unde & proverbium exivit, quod tanta copia petrarum ante novissimum diem vix aptaretur. Et quamvis idem dominus Johannes propter alia negotia non quiverit Ecclesiam consummare, præparavit tamen impensa lapidum & lignorum, ut legitur de Prophetā David, plures quoque per latomos fecit lapides aptari, per suos sperans successores adimplendum, cuius ipse semper habuit voluntatem. Contigerat etiam quinto anno regiminis sui unum quoddam satis mirabile. Nam quidam frater honestus aptus ad multa, incurrit subito pestem inguinariam, qua & post modicum obiit. Altera die sepulturæ ejus quidam novitus eadem peste tactus, ducetus est ad infirmitorium & graviter insuper febre corteptus, ita ut omnes de vita ejus desperarent, unde & à Venerabili Patre domino Johanne sacro oleo inunctus est. Cumque ipsum fratres tanquam iam abitum singillatim visitarent, unus ex eis eidem novitio fugessit, ut se beato Barnwardo episcopo devotius commendaret. Quod cum fecisset, ille statim cœpit melius habere & convalescere, in tantum, ut post dies octo professionem suam faceret solemnem in Oratorio. Et apostema in eo totaliter defecit. Unde ipse eundem beatum Barnwardum semper ex eo in devotione retinuit, & libens & promtulus fuit ad suum festum celebrandum. Novæ autem illi monacho datæ sunt vestes, quas habuerat ille frater, qui, sicut dictum est, tam repente pestilentia mortuus est. Qui, ut quorundam seniorum relatione notum est, inter mira refertur, licet fuerit honesta viræ, tamen negligens fuerat circa divina propter artes suas persolvenda. Unde & postea quodam tempore apparuit idem defunctus alteri religioso fratri & devoto retro chorūm veteris Ecclesiæ iacenti post præpulsationem matutinarum in oratione circa altare, ubi solent fratres disciplinas post nocturnas suscipere. Venit autem de capella retro idem altare & recognitus est à fratre orante & timore perterritō, cui signavit idem defunctus, ut sibi disciplinam dare vellet. Et ille econtra signavit, ex quo defunctus esset, quid ibi faceret. At ille, si, inquit, negligens non suffissem, huc non redirem. Et accepta disciplina a dicto fratre ante altare, rursum capellam illam, unde venerat, ingressus est, & non amplius eidem apparuit. At ille valde paucis, quod viderat, narravit. Fuit autem talis persona tantæ gravitatis atque religionis, cui visio apparuit & sanx mentis, quod nefas videbatur sibi non credi. Quod exemplum attendant, qui ex proposito sive negligentia, ea, quæ divini officij sunt, negligenter persolvunt. Defuncto, ut dictum est, domino Johanne, successit eidem in regimine Domiuus Albertus de Milfinge, qui tunc erat Prior domus & diutius fuerat Bursarius, multaque operatus est pro monasterio industria sua, eo quod esset gnarus in temporalibus atque versatus. Hic in principio sui regiminis reparavit & innovavit tectum capella & domus ante portam; item inceptam novam piscinam ante montem Quenebarg supplevit. Item posuit fenestras in commodo Abbatis & in infirmitorio, quæ prædecessor suus aptari fecerat. Item fecit & inchoavit murum per medium curiæ monasterii, in quo posuit mediam portam, sed non tota-liter consummavit. Item posuit trabes infirmitorii & capellam ibidem absque altari & testidine. Item procuravit caminatas in Gronaw & in Gemhusen. Ipse est, qui omnia, quæ habet monasterium bona inter rivulum Bostere & civitatem Hildesemensem locaverat civibus pro pascuis cum omni utilitate 40 annis sine consensu totius Conventus atque visitatoris propter civium amicitiam. Sed è contrario res contigit. Nam postquam contractus factus est inter eosdem

eosdem in initio consules ejusdem civitatis emerunt *molendinum nostrum*, quod dicitur *Epi-*  
*scopi*, de manu Laici à nobis eandem tēnētis iudicio ſeculari ſine Abbatis & noſtro conſen-  
*ſu*. Nec aliqualiter voluerunt respondere ſuper proprietate ſive jure pheudi, ſed tantum ali-  
*quid dixerunt de cauſa molendini, quod ſic quidem permaſtit ſub tali periculo uſque ad no-*  
*yum annum ſui ſuccelforis fratris Hinrici Abbatis. Sicque amicitia, quam putavit compa-*  
*raſe cum rebus immobilibus monaſterii acquirendam, in contrarium ad magnum periculum*  
*& diſcordiam deuenit. Item ambitum noſtrum ſuperius tabulavit. Ipſe etiam in ornamen-*  
*tum Eccleſię de argento ſibi à ſuo prædeceſſore relieto, inſignem crucem argenteam & duas*  
*ampullas & parvum vafculum pro aqua benedicta per circuitum à ſubdiacono deferenda,*  
*omaia argentea fieri fecit. Tempore ſuo defunctus eſt piæ memorie dominus Johanne de Hoya,*  
*epiſcopus Hildesemensis nobis & noſtro monaſterio ſatis favorabilis. Et fuſcepit regimen*  
*Epifcopatus dominus Magnus Dux Saxonia inferioris, qui ante fuerat Epifcopus Caminenſis. Hic*  
*ſemper gratiosus fuit monaſterio noſtro, ut inſra patebit, & ab initio ſuę dominationis uſ-*  
*que in finem vitę ſuę. Dominus autem Albertus in ædificatione Eccleſię nihil omnino opera-*  
*tus eſt, cum tamen multam materiam lapidum haberet, ſed eosdem lapides ad murum cu-*  
*riæ monaſterii, ut dictum eſt, pro parte convertit. Qui poſtquam fuſſet Abbas uſque ad*  
*annum quintum, podagræ infirmitatibus aliisque incommoſis attaetus, reſignavit in præ-*  
*fentia Domini Morimundensis Venerabilis Abbatis atque duorum de Riddageshuſen atque Clarofonte*  
*Anno ab incarnatione Domini 1426. ipſo die beatorum Martyrum Marci & Marcelliani, & ac-*  
*cepta provisione tranſtulit ſe in Walckenrede profeſſuſ ibidem, mortuus & ſepultus eſt.*

XII. De elecſione Abbatis Hinrici de Berntem & de actis ejus  
 in regimine & deſtructione Eccleſię & incep-  
 tione nouae.

Aſſiſteſt itaque dicto venerabili patre domino Guidone Abbatte Morimundensi reformatore,  
 quod hic nunquam alias factum reperiſt una cum præfatis dominis Hermanno de Rid-  
 dageshuſen viſitatore ac Johanne de Clarofonte monaſteriorum Abbatibus affiſtibus, eorundem  
 confilio atque decreto ſtatim poſt reſignationem domini Alberti eadem die ordinatis electo-  
 ribus & miſla de Spiritu ſancto ſolenniter celebrata, ceterisque rite peractis electus eſt hic  
 in Abbatem frater Hinricus de Berntem, annorum aetate quidem juvenis, inſirmus quoque cor-  
 pore, ideoque minus aptus ad tantum officium videbatur, quamvis per annos XVI conver-  
 ſionis quaſi in omnibus officiis monaſterii ſtetiffet ſub dominis Johanne & Alberto. Fluxe-  
 rant autem à tempore translationis noſtræ de Iſenhagen uſque ad elecſionem hujus fratris  
 Hinrici 166 anni, à tempore vero ordinationis domini Hermanni Abbatis de Peysis, quan-  
 do coepit hic ordo revivifcere anni 48 vel citra. Hic autem frater Hinricus Abbas cum ali-  
 qualiter convaluiſſet de infirmitate, qua & aſſumtuſ erat de infirmitorio feſtinanter coepit  
 conſummarē, qua prædeceſſor ſuus incipiendo non perfeceraſt, videlicet primo murum per  
 curiam monaſterii, in quo media porta iam poſta erat. Submovit etiam ſtabula pericu-  
 latoria in curia paralogii, diſtingueſ eam à media porta per muros à dextris & à ſinistris. In-  
 cepit etiam murum circa coemeterium versus meridiem retro Eccleſię, & poſuit ibidem in  
 angulo reſervoirum pifcium. Præterea coepit innovare teſtum & traſbes domus lapideæ in  
 curia noſtra Honover. Quod quidem opus ſatis ſumtuofe perfectum eſt. Item teſta domo-  
 rum habitabilium ibidem, circumdans eandem curiam muro per circuitum demoliens habi-  
 tacula hujusmodi de ſubtus domum majorem. Poſtea acquisiſvit privilegium à domino  
 Mindensi pro ædificanda capella ibidem. Et poſuit interim ibidem portatile altare pro de-  
 votione; anno autem ſecondo ordinationis ſuę conſiderans & perpendens, quod multa  
 ædificia neceſſaria jam tam ab ipſo, quam à prædeceſſoribus ſuis tam intra, quam extra mo-  
 naſterium in locis monaſterio pertinētibus eſſent conſtructa ac ædificata, & nihil eſſet fa-  
 ctum de Eccleſię ſive oratorio, quaenamia vetuſtate, igniumque ab olim conflagratione con-  
 ſumta ſuit. Nec operam ſuffuſtionis ſive appodiſationis a modo admittens ruinam ſuam cotidie  
 minabatur, rimis undique patentibus & lapidibus ſingillatim deſcentibus. Neque teſtum  
 ejus jam aliquis magiſter audebat pro reparatione aſcendere. Conſilium ergo ſuper hoc  
 ſuviſitatoris domini Abbatis de Riddageshuſen & ſuvi conuentus habuit, quomodo ſe ali-  
 qualiter pro nova Eccleſię exhibere poſſet. Sed graviter talia conſulta ſunt, tum quia pecunia in  
 promtu ad hoc neceſſaria non habebatur, tum quia Abbas juvenis erat & inexpertus in hujusmo-  
 di. Et quia de nova Eccleſię non potuit aliquid ædificari amplius, niſi vetus Eccleſię ſubmove-  
 retur de loco: placuit etiam ſuper hoc habere conſilium venerabilis Domini Magni Epiſcopi  
 atque ſuorum. Qui cum veniſſent & conſideraſſent periculum fratrum in Eccleſię, una ſen-  
 tentia omnium fuit, ut antiqua Eccleſię demoliretur, etiamſi nunquam aliam ædificare poſ-  
 ſemus, ut tanta pericula per ejus ſublevationem declinarentur. Poſſet enim fieri, ut quod  
 propter talem neceſſatem inciperetur, Deo dante, in futuro perficeretur. Nam ſi nunquam  
 inciperetur, nunquam perficeretur. Acceptis itaque conſiliis hujusmodi tandem conſensus  
 omni.

omnium factus est, ut antiqua Ecclesia ante omnia deponeretur, ut locus aptus fieret pro futura nova Ecclesia. Adductis igitur undique magistris operum, tam architectorum, quam latomorum, & machinis aptatis, deposita & destrutta est ecclesia illa cum suis testudinibus & à fundamentis submota caute & discrete relictis duabus tantum testudinibus cum 4 columnis ante turrim grandem, ubi ad tempus *Stalla* fratrum pro divinis interim agendis ponit posse, quæ jam tunc primo transstulimus in infirmitorium, ubi per annum integrum divina more solito sunt semper celebrata. Loco itaque vetustæ Ecclesiæ fundamentaliter purgato, lapidibus cum ceteris materiis in cœmterio in unum collocatis & defossa terra in altum & latum pro novis fundamentis, incepta sunt in nomine Domini ipsa fundamenta & jactata pro nova Ecclesia de ingentibus lapidibus, quorum copia aderat tam murorum per circuitum, quam columnarum novi futuri Oratorii crucem more Ordinis figurantis. Et continuatum est opus cum illo, quod fuit antea positum à Domino Johanne Abate, ut supra dictum est, in cœmterio ante annos 17. Frater autem Hinricus Abbas volens cum opere festinare ad finem, statuit non ita pretiose & sculpte ædificationem prosequi, neque lapides sumtuose cavare uti incepsum opus antea fuerat, quod erat præ oculis. Sed repperit de consilio magistrorum faciliorem modum prosequendi & continuandi aliter, quam opus apparuit. Ita tamen quod continuatio fieret secundum situationem, uti apparet intuentibus & considerantibus. Primo itaque illo anno singulis clenodiis nostris una cum stallo fratrum in infirmitorium deportatis ac deinde veteri Ecclesia eruta, firmisque fundamentis pro nova Ecclesia per circuitum positis, Deo propitio adjutore cœpimus ædificare super idem fundamentum eodem tempore ad altitudinem staturæ humanæ à terra per circuitum, aliisque annis continuis sequentibus ita ut muri una cum columnis elevarentur à fundamento & à terra per triginta pedes, quibus quatuor annis sic completis in Ecclesiæ structura cessatum est ab opere propter exsurgentis lites inter dominum Episcopum & Duces Brunswicensium, unde & pericula & rerum damna per tres annos sequebantur. Verum infra præsatam destructionem Ecclesiæ & redificationem novæ ordinavit Abbas altaria aliqua in diversis locis, quæ de Ecclesia submoverat, ne divina interea aliqualiter imminuerentur, quum de consumatione ororii incepti de propinquo spes dubia tenebatur. Jam enim consumaverat capellam in infirmitorio & fecerat consecrari. Submovit etiam altare capella ante portam, quia nimis bassum erat, & reconsecrari fecerat una cum novo cœmterio ibidem juxta capellam versus aquilonem. Posuit ergo unum altare in loco capitulari, unum ante capitulum, unum in Sacrario novæ Ecclesiæ, quod jam perfecerat, cum testudinibus duplicibus. Item unum altare in ambitu in parte occidentali prope lavatorium, atque unum in colloquiis, quæ omnia altaria fecit consecrari. Infirmitorium, capitulum & Sacrarium in capillis. In veteri autem Ecclesia, quæ diruta est, non erant nisi septem altaria consecrata, excepto summo altari, quod erat solenne portatile impositum super lapideum altare ornatum ac si fuisset altare per se consecratum. Ecclesia etiam antiqua nunquam fuerat perfecta ab antiquo, quia defeccerat circumferentia, ubi summum altare collocari debuisset, & in uno brachio crucis versus austrum prout fundamenta eorundem in terra posita ab olim reperimus, cum nova fundamenta foderemus. In dictis igitur altariis & capillis fratres interim celebrarunt. Insuper erecta sunt plura altaria portatilia, ne aliquæ Missæ omittentur. Cum autem per annum Conventus divina cantasset in Infirmitorio, relata sunt stalla fratrum cum ceteris clenodiis in illam partem veteris Ecclesiæ, quæ, ut dictum est, remanserat, ibique conventus patientiam habuit, stando in divinis quasi per sex annos continuos. Quibus iterum completis cum cognovisset Abbas, illam quoque ruinam suam minari, & hoc per experientiam magistrorum latomorum certissime didicisset, iterato & tertio stalla fratrum transferri fecit in dormitorium, cum locum aptum non haberet, alium, in partem versus Ecclesiam, ubi jam super Sacrarium habebatur camera five *Bursariz*, bene tutata per muros & testudinata, qua Clenodia altaris reponi potuisset. Ibi ergo erecto altari portatili & aliis necessariis divina fratres celebrantes, quasi per annos 4 usque dum nova Ecclesia esset dedicata. Cumque illa pars veteris Ecclesiæ, in qua steterat conventus, dirui aggredieretur, solum cum una pertica testudines & muri eversi sunt. Ita Dominus tunc, sicut & semper, conventum servavit in isto periculo ab omni læsione, excepto fratre Hinrico de Netelinge, qui cecidit de trabibus novi Oratorii, cum esset cum fratribus ibidem in opere, & se præparasset, ut Missam post tertiam celebraret, & mortuus est statim, ut ad infirmitorium post inunctionem deportaretur. Destructa quoque illa parte ultima de veteri Ecclesia, quæ remanserat, solum turris antiqua supererat, ubi ossa Venerabilis Alradi confessoris olim conversi nostri, unde supra dictum est, quasi neglecta permanere videbantur, quæ olim illic fuerant in magna reverentia, quod Abbas Hinricus considerans effudit & translatis ea de isto loco ad honestiorem & posuit ea inter januam & altare ante capitulum anno incarnationis Domini 1437. in die Sancti Guilhelmi episcopi & confessoris cum hujusmodi epitaphio brevi:

Alradi fossa sunt hæc venerabilis ossa,  
Qui monachus factus monachi vigilavit ad actus.

Inve.

Inveniebat etiam circa sepulchrum ejus antiquum epitaphium taliter versibus exara-  
tum:

Alradi vita cultu Christi redimita  
Cœlesti vita cœli sit in arce polita  
Hic miles mundum prudens fugiens furibundum,  
Se servans mundum virtutum perque profundum,  
Fratrum lucerna factus suadendo superna  
Tantaque lucerna iacet hac extincta caverna,  
Vitaque pro digna facit ipse juvantia signa,  
Quæ quærito digna fide, mente devota benigna.

His itaque per singula patratis de speciali gratia Dei nobis concessum est, quod in ista ne-  
cessitate & mutationibus locorum pro divinis nec una quidem de horis canonicas persolven-  
dis & cantandis cum omnibus officiis defunctorum incantata præteriit, quin omnia juxta  
morem Ordinis persolverentur. Nam semper interim, quod stalla transferebantur, in capi-  
tulo persolvimus horas debitas cum Missæ officio, donec stalla recollocarentur. Et privatæ  
Missæ siebant in altaribus antedictis & collocatis.

*XIII. De multis, quæ operatus est & sollicitavit fieri pro com-  
modis fratrum & in aliis negotiis monasterii  
ubilibet procuratis.*

**S**ED interim quod cessatum est ab opere, ut dictum est, Ecclesiæ, non cessatum est ab aliis monasterii necessariis. Abbas namque plura operatus est in commodis fra-  
trum. Ante omnia tamen non cessavit à fodina lapidum, quos sine intermissione adduci  
fecit & secari. Reparavit etiam antiquum calefactorium & latius ab intra fecit cum pavi-  
mento albo & mundo & superiore tabulato per modicum sublevato. Ordinavit etiam *stibam*,  
cum calefactorio ibidem & pelvibus de aurichalco cum sedilibus & ad lavandas res necessa-  
rias. Aptavit & infirmitorum cum lectulis & calefactorio atque fornacem cum clausuris.  
Item dormitorium quantum ad partem aquilonarem faciendo ibidem pavimentum mundum  
& submovendo ibidem trabes & casseres nimis basse desuper imminentes. Fecit & *4. commoda*  
five cameras pro Abbatे cum fornacibus & aliis corquisitis. Et etiam dispositi cameram,  
in qua Abbas dormire solet, ut haberet introitum & exitum in dormitorium & mundo pavi-  
mento complanavit. Postmodum pro commodo fratrum sublevavit ab inferius pavimentum  
refectorii & fecit illic fornacem grandem & latam, derivans calorem usque ad proximum no-  
vum commodum Abbatis, posuitque in refectorio mensas de magnis tabulis & pedes earum  
de fortibus lignis querçinis & ornavit ipsum tabulatis desuper de asseribus pulchre levigatis  
& compositis. Similique opere fecit commodum præfatum Abbatis, faciens ibidem pavi-  
mentum & fornacem trahentis caloris. Reparavit etiam plura in exterioribus videlicet pisci-  
nam in Holthusen, quæ tamen postea dirupta est. Item aggerem piscinæ Molen camp eli-  
mavit. Siccavit etiam piscinam illam profundam circa cœmeterium per annum &  
dispositis illic canalibus firmis in fundo aggeris posuit. Novum illic molendinum,  
ante eam in loco spinarum solicitudinis. Insuper molendinum in monasterio anti-  
quum reparavit in statum pristinum. Multa etiam arbusta evellere fecit & novari in locis  
& agris monasterii, unde & quorundam vicinorum contra se invidiam excitavit. Nova etiam  
fossata plura elaboravit & antiqua reparavit. Fecit etiam novum fossatum inter montem no-  
strum Klingenberg & nemus usque super sylveta novæ curiæ, & infra à nova curia usque in  
Krovesdal. Fecit vineam & humilem renovavit in locis spinarum & dumetorum singulis in  
agrum fertilem deductis. Procuravit sibi oves & boves domum faciens prope muros mona-  
sterii, ut sumtus famulis propter fabricam Ecclesiæ eo levius supportaret. Instauravit de-  
novo longum stabulum equorum in curia posteriori retro pistrinum versus aquilonem circa  
murum. Præterea cum villa nostra Wembusen totaliter est deleta præter capellam, erexit  
ibidem juxta cœmeterium forte defensorium cingens ipsum cum fossato simul cum cœmete-  
rio & ecclesia & villulam circumdedit grandi sepe per circuitum ad tutelam habitantium, nc-  
vum etiam propugnatorium in Egenstede erexit, & in Holthusen. Insuper doluit semper de-  
periculo molendini, quod dicitur episcopi, quod Consules sub manu sua habebant & eme-  
bant sub domino Alberto prædecessore suo, ut hoc factum ad bonum finem pro monasterio  
ordinare posset, propter quod ivit ad diversas patrum Ordinis convocationes pro concilio &  
auxilio intendens lites cum dictis detentoribus, nisi secum pro monasterio componerent  
aut molendinum dimitterent. Qui cum Abbatem desistere nolle viderent & frequenter su-  
per hoc scripta minatoria aliorum abbatum Ordinis reciperent, tandem placitis acquieverunt  
& concordiam cum Abbatे & suis inierunt, dictumque molendinum proconsules & consules  
ab Abbatē in pheudo coram notariis & testibus & coram fratribus jure feudi acceptarunt, prout

## BERNTENII

450

scripta super hoc evidentius ostendunt. Discordias etiam frequentes cum pastoribus de Hildeshem habebat plus quam sui prædecessores. Præterea lites habuit pro duobus mansis litonicis in Ruenbarge; item pro duobus in Slebecke; item pro dimidia decima in Latbusin, & pro quadam decima in Anderten. Iстis omnibus non obstantibus ivit ad diversas convocationes patrum. Unde etiam anno domini 1438 cum quibusdam deputatis missus est ad capitulum generale in Basilea tempore concilii celebratum, ubi & generali Concilio Basiliensi insulatus est cum aliis patribus, & indulgentias concilii reportavit conventui. Postea etiam abiit cum quibusdam in Francford ad patres. Vocabatur etiam ad diversa monasteria Ordinis tam pro electionibus, quam visitationibus. Super hoc & Dominus Magnus Episcopus Hildesemensis plures eum petit aedes pro reformatione quorundam monasteriorum sibi subjectorum. Unde & plura reformata sunt de gratia Dei & reformantur. Et plura tam intra, quam extra monasterium coactus est sollicitare, propter quod etiam ædificatio Ecclesie retardabatur, licet omnia præfata negotia præteriri non possent, ut patet. Attamen labor & sollicitudo pro Ecclesia consummanda excessit semper omnes alios labores in mente Abbatis.

### *XIV. De Consummatione Ecclesie interius & exterius & ornatu ipsius & de Abbatis infatigabili sollicitudine.*

**M**ultis igitur & variis istis pro monasterii necessitate laboribus completis per triennium, quo propter guerras cessatum est à fabrica Ecclesie, quo & bona villarum reparavit per illam guerram devasta, idem Abbas cœpit insistere cum fratribus suis iterum ædificationi Oratorii incepit, ut consummaretur. Nec amplius cessatum est ab opere, donec omnes muri cum fenestris, arcibus atque columnis essent perfecti secundum omnem modum primo conceptum. Crevitque opus in manibus operantium. Nam sollicitudine Abbatis omnes lapides per latmos præparati erant & aptati. Neque etiam necessaria in pecuniis vel in aliis aliquando defuerunt, Deo, ut speramus, providente atque singula pro domo laudis suæ præordinante. Opere igitur lapideo perfecto, adducta sunt ligna quercina ad trabes & ad cætera tecti necessaria, & campanilis, & perfecta sunt omnia, prout cernentum nunc oculis patet cum tectis lapideis & plumbeis. Quæ postquam completa sunt, postea per laborem unius anni testudo superinducta est. Deinde interius in Ecclesia omnia ordinata sunt. Primo summum altare fundamentaliter à fundo eductum, compaginatum & ornatum est cum suis abditis locis, post hoc octo privata altaria. Nam altare in sacrario jam antea consecratum est. Strato itaque pavimento & quibusdam piscinis præparatis circa altaria rite cuncta introrsus completa sunt. Item gradus dormitorii per arcum lapideum fieri procuravit, ne facile strepitus ascendentium vel descendentium quemque turbaret. Abbas autem jam antea comparaverat quoddam solemne candelabrum de aurichalco magnum, latum & altum in septem brachiis sive lucernis. Quod postquam mundari fecerat atque reparari, posuit in gradibus presbyterii novi. In fenestris etiam capellarum ex utraque parte infra & supra jam erant à fratribus factæ vitreæ tabulæ affixa. Porro solemnem illam fenestram versus austrum quidam civis Hildesemensis pro majori parte procuravit, at reliquam partem Abbas ex monasterio approcuravit & materiam picturæ dedit. Suspendit etiam imaginem beatæ Virginis in presbyterio. Construxit gradus lapideos ad superiores capellas & parvam cameram in muro pro oleo conservando; Similiter & locum ampullarum & aquarum, canale quoque ibidem obtendum. Igitur quodammodo in dictis annis tota illa pars Ecclesie major & nova intus & extra perfecta est secundum dispositionem Abbatis totaliter disposita juxta certas mensuras atque formata.

### *XV. De dedicatione Ecclesie, cœmeterii & ambitus & de frequentia populi atque solemnitate vicinalium & de ministerio ministrantium singulis statibus.*

**A**nno igitur gratiæ & incarnatione domini nostri Jhesu Christi 1440. cum jam Ecclesia nova esset parata, & pars inferior clausa per parietem lapideum atque tectum desuper, fenestræ quoque essent lineis pannis coopertæ, excepta majori fenestra, ut dictum est, ad austrum; decrevit Abbas una cum conventu suo, ut Ecclesia dedicaretur, quia longum videbatur hoc protrahere, donec alia pars totaliter adderetur. Ne ergo spes dilata affligeret animas desiderantium, petiit Abbas humiliter venerabilem dominum Episcopum Magnum pro consecratione Ecclesie suæ, & ut officium ipsum per se facere dignaretur. Cumque se legitimate excusasset, se personaliter ad hoc vacare non posse, injunxit hoc suo vicario in spiritualibus, venerabili domino videlicet Johanni Episcopo Misineni, ut hæc omnia secundum dispositionem Abbatis exequeretur. Qui dum eodem anno dominica prima post octavam diem corporis

corporis Christi advenisset, affuit simul & innumerabilis multitudo utriusque sexus. Abbas cum ubique per circuitum prædicari fecerat in civitatibus & in villis, quod mulieres per novem dies in ista dedicatione possent intrare monasterium pro devotione. Aderant & tunc præsentes cum Abbe nostro Venerabiles domini *Abbates de Walkenrede, Amelungesborn, Riddageshusen*, atque *Michelstein* monasteriorum ordinis nostri. In præfata ergo dominica prima post octavas corporis Christi, in qua tunc simul erat festum sancti Bonifacii Episcopi & martyris. Accedens dominus *Johannes Episcopus* cœpit consecrare Ecclesiam & postmodum summum altare, recondens in eo 24 partes reliquiarum sanctorum, ipsumque altare simul cum Ecclesia in honorem Dei omnipotentis, ad titulum & honorem perpetuæ & gloriose Dei genitricis, semperque virginis Mariæ, patronæ nostri totius Ordinis, sanctique Michaëlis, omniumque angelorum sanctorum cum omnibus sanctis virginibus utriusque sexus, quatenus talibus patronis nostra jugiter gaudeat Ecclesia sublimata & eorum patrociniis semper & ubique protegatur. Altera die videlicet feria 2. consecravit totum cœmeterium & unum altare, quia opinio atque suspicio erat, quod tam Ecclesia prima, quam cœmeterium essent violata. Nec annua commemoratio dedicationis colebatur nec sciebatur à nostris prædecessoribus. Sequentे autem die feria tertia totum ambitum dedicavit cum hortulo & similiter unum altare. Sicque à prima die usque ad nonam diem semper unum altare consecravit cum assistentia dictorum dominorum Abbatum & aliis pluribus prælatis atque religiosis cum multis millibus populorum, maxime sexus muliebris variarum conditionum. Semper etiam augmentabatur populus de die in diem, nec nostra congregatio atque Ecclesia lamentari tunc habuit secundum Prophetam dicentem: *Via Sion lugent eo, quod non sint,* qui veniant ad solemnitatem. Nam omnes viæ circum & versus monasterium plenæ erant hominibus, ipsis diebus accendentibus atque recedentibus ad modum parietis conglobati. Aderant plures de propinquioribus & majoribus civitatibus, de villis etiam & castris, de monasteriis virginum atque monachorum. Per se etiam Dominus *Magnus Episcopus*, Decani, Præpositi, milites, militares & quoque totus clerus & populus de civitate Hildesemensi, multi quoque religiosi diversorum Ordinum atque sanctimoniales, tantaque erat pressura populi in ambitu & Ecclesia, quod necesse fuit omnes aperiri introitus monasterii & latam januam per murum facere ad Ecclesiam, ne oppressi homines morerentur. Quibus tamen non obstantibus, quædam de mulieribus semivix reportabantur. Fratres quoque nostri cum ingenti labore comprimendo transibant per eos ad altaria propter consecrationem & celebrationem. Providerat autem Abbas Hinricus atque concesserat, consulens multitudini in hoc atque monasterio, ut quicunque de secularibus vellet venalia sive mercationes ibidem libere habere, posset tam intra quam extra monasterium. Quod & factum est in copia de pane & vino, de cerevisia diversa, ceterisque mercatu consuetis. Habebat quoque Abbas ipse excepto refectorio fratrum in diebus ipsis novem, quasi octo mensas cotidie plenas hominibus utriusque sexus, quibus fratres atque clerici seculares ac alii ministri deputati sufficienter ministrabant de diversis ferculis, cerevisiis & de vino nostri clementi, quod quidem isto anno, domino dante benedictionem, in copia habebatur. Vixque multitudo de vespere à media porta excludi poterat, donec de mane cum solita compressione redirent. Mulieres vero extra portam majorem de vespere minabantur.

*XVI. De Conclusione dedicationis & pronuntiatione stationum  
& de reliquiis sacrosanctis nostræ Ecclesiæ & transpositione anniversariæ dedicationis.*

Revolutionis etiam annus septimus tunc illucescebat, quo reliquia beate virginis Aquigrani exhiberi solent. Unde multi tunc de longinquis regionibus ibant per civitatem Hildesensem, multa etiam loca alia interim visitaturi. Audita autem dedicatione Ecclesiæ nostræ quia prope erat locus, in magnis cuneis properabant. Facta quoque est gravis solemnitas, qualis non est audita similis aut visa ab his, quos tunc vita continebat. Nona vero die juxta Ordinis instituta conclusuri festivitatem, femineumque sexum à modo exclusi dominus Episcopus fecit solemnem processionem cum sacro sancto dominici corporis sacramento & cum omnibus reliquiis, quæ in ista nona die cum capsulis suis ponebantur super majus altare. Factaque est magna & solennis processio cum toto conventu nostro, aliquique Prælatis & religiosis & cum universa multitudine populi, quæ tunc amplius confluerat devotissime procedentes ab Ecclesia nova consecrata per antecapitulum & januas auditorii, per circuitum cœmeterii, per locum antiquæ Ecclesiæ & per ambitum, reversique in Ecclesiam per ianuam, unde exivimus solennem Missam de dedicatione ad summum altare. Dominus Episcopus more solito celebravit & sermonem fecit ad populum, sicut in omnibus & singulis etiam præcedentibus diebus per se fecerat. Insuper Abbas providerat alios fieri sermones & stationes in cœmeterio à religiosis diversorum Ordinum. In quibus sermonibus vulgaribus tam Episcopus, quam ipsi mandatum domini Episcopi Hildesemensis tunc præsidentis

fidentis noviter collatum, publicabant, videlicet quod monasterium ab ipso tempore consecrationis deinceps nominari deberet in vulgari *Marienrode*. Quod quidem nomen in Latino iam monasterio nostro olim dederat suus prædecessor dominus *Johannes Episcopus Hildesensis*, quod & dominus Papa tunc sic confirmaverat, ut Novale sanctæ Marie ab illo tempore dici deberet, ut supra dictum est. Subjunixeruntque in sermonibus, quod statuisset idem dominus Episcopus modernus, ut quicunque rationabiliter motus dictum nostrum monasterium *Marienrode* pro loco *Betzingerode* nominaret 40 dies indulgentiarum de speciali suo privilegio mereretur. Item quod idem dominus Episcopus more prædecessorum suorum renovasset, suppleisset & confirmasset omnia privilegia dicti nostri monasterii, quæ à suis prædecessoribus & à summis Pontificibus & Imperatoribus, ac aliis Prælatis atque Principibus, nec non & à quibusdam Christi fidelibus quocunque justo modo eidem monasterio nostro collata atque concessa fuerint. Quodque etiam subdeditisset anathemati maleditionis æternæ omnes & singulos, qui dicto monasterio in suis personis, bonis, privilegiis & libertatibus & exemptionibus, quocunque colore nocere malitiose atque invidiose presumserint. Et quod imprecatus etiam esset æternam benedictionem Auctoritate Ecclesiaz sibi commissa, ipsum monasterium atque sua quoquo modo promoventibus. Super omnia autem indulgentias ordini à sede Apostolica collatas & indultas cum consuetis indulgentiis dedicatum. Insuper tunc dominus Episcopus celebrans infra sermonem exhibuit nostras Sanctorum reliquias in capsulis, inter quas de quibusdam specialiter sermocinatus est, videlicet, de tribus crucibus de ligno Domini, de spinea corona Domini, de ossibus sancti Johannis Baptistæ, de sanguine beati Stephani, brachium sanctæ Barbaræ virginis cum manu, manum beati Georgii martyris, de tibia beatæ Cæciliae virginis, item unum corpus absque capite, & plura capita de undecim millibus virginibus. Quibus quidem reliquiis nostrum monasterium ab antiquo & de moderno tempore constat magnifice esse dotatum. Ad quas reliquias oportune exhibitas populorum catervæ cum ingenti devotione oblationes spontaneas obtulerunt, seque suppliciter Sanctis illis commendarunt. Isto itaque nono die multitudine cum gudio & benedictione exeunte sexui muliebri more solito interdictus est omnino quomodolibet ingressus. Altera die, quæ fuit decima, fecit dominus Episcopus una cum conventu humilem processionem in simplici aqua benedicta cum quibusdam sanctorum reliquiis per totum claustrum intra, maxime per illa loca, in quibus mulieres fuisse compertrum est, ne forte contigisset aliquid inhonestum, unde religiosorum virorum pia conscientia violari posset. Tali itaque sanctificatione iam purgato monasterio reversi in Ecclesiam, Missam de beata Virgine, electa patrona nostra Episcopus celebravit. Sicque demum cunctis rite completis, Deo nos juvante atque magnifice propitio, ipsi debitas gratiarum actiones & laudes cotidianas ab hoc tempore in Ecclesia consecrata in horis canonicis cœpimus decantare. Quo quidem laudis præconio, ut sumus semper in templo laudantes & benedictentes Dominum in omni tempore & semper laus ejus sit in ore nostro, nec desinat aliquando à nobis & ab ore seminis nostri, donet nobis misericordia sua, qui bonorum nostrorum non indiget sancta Trinitas, unus Deus Pater & filius & Spiritus sanctus Amen. Porro dispositione Abbatis nostri qui omnia & singula ita ordinavit, auctoritate Episcopi certis & rationabilibus de causis translata est memoria anniversaria dedicationis hujus de præfata die consecrationis in vigiliam S. Michaëlis archangeli vel in unam de continuis decem diebus usque ad festum sancti Dionysii exclusive perpetuis temporibus peragenda. In quolibet duorum istorum juxta placita & expediens potest ponи dedicatio annualis. Ut autem dominica præfata prima post octavas corporis Christi cum tota sequente septimana, in qua grandis hæc festivitas peracta est, non absque solenni memoria propter prædictam translationem perpetuis temporibus haberetur, constitutum est ab eodem domino Episcopo & in vulgari sermone populo intimatum, quod omnium capellarum & altarium in claustro & in Ecclesia existentium, excepta capella sanctorum Martyrum Cosmæ & Damiani ante portam, annue memorie dedicationum in hac dicta dominica & hebdomada peragantur eo ordine & modo, ut in scriptis ejusdem Episcopi constitutum esse constat.

*XVII. De ornatu Ecclesiae & altarium. De libris conquistis & de tribulationibus insurgentibus post dedicationem à civibus.*

I<sup>llo</sup> ergo tempore cum completa esset ista dedicatio, anno ordinationis Hinrici Abbatis XIV. de infatigabili sollicitudine ipsius statim stalla de dormitorio illata sunt per artifices & in nova Ecclesia posita & aptata juxta possibile cum aliis clenodiis reportatis atque receptaculis necessariis fabricatis. Instruxit in presbyterio firmam capsam pro calicibus servandis. Fecit tunc fieri solenne & pretiosam archam in Summo altari de firmis lignis pro sacrosanctis reliquiis conservandis atque claudendis. Et in fano ipsius 14. imagines de alabastro pulcherrime sculptas, auroque deauratas cum interrasili tabulatu cum duplice depicto cooper.

coopertorio tabulari ex utraque parte , uti apparet intuentibus. In cuius capsula medio, in posteriori parte inter reliquias sub cymborio postea fecit capsulam pro solennius atque commedium servando dominici corporis pretiosissimo Sacramento cum clausuris & antependium ligneum & depictum ante prefatam archam suspendendum. Fieri etiam fecit appodiatorium pulchrum ante stalla ministrorum altaris in presbyterio. Fecit & lucernam firmam super coemeterium & ossa mortuorum , quæ ibidem extra juxta murum in archa lapidea collecta in coemeterio pro confricanda mortis memoria. Fecit ut lucerna certis temporibus pro defunctis ibidem & sepultis incenderetur. Excidi quoque fecit nova & pretiosa stalla fratribus in choro novæ Ecclesie quanquam consummatæ ponenda, in quibus multis expensis per plures annos elaboratum est , & posita sunt in infirmitorio , donec Ecclesia perfecta fuerit in suis ædificiis superaddendis. Constituit etiam atque ordinavit, ut in festis patronorum quorumlibet Altarium ardeat lumen sive lampas semper à custode ibidem ponenda. Ordinavit etiam tres lampades, unam ante gradum, duas reliquias hinc & inde in partibus Ecclesie principalibus. Jam ante posuerat firmam lucernam ante Capitulum juxta & super sepulchrum Alradi, confessoris Christi, ante altare sanctæ Annæ , ut transitus sive ambitum atque capitulum de nocte illuminet. Dilataverat insuper locum librorum in armario nostro libros ibidem multiplicando, scribendo & ordinando. Insuper quæ ipse propria manu collegerat, simul ad unum locum ad dextram videlicet ingredientium ponendo ibidem. Fecit autem scribi in pargameno de his, quæ primo collegerat in paperio, tertium malogramati; nam primum fecit scribi dominus Johannes, secundum dominus Albertus. Idem dominus Johannes procuravit Mammaractum & Mandevillium. Præterea Abbas Hinricus ingrossari atque scribi constituit Bernhardum super Qui habitat ; item Christianissimum documentum, similiter Scrutinium scripturarum in duabus partibus, item VIII libros in papiro per ordinem positos in libris specialibus designatos, in quibus multa per se scripsit, alia autem scribi fecit. Exceptis pluribus aliis voluminibus, quibus temporibus suis ditatum esse constat armigerum nostrum, quia duo interstitia superiora de novo fabricata libris fere repleta sunt. In curia nostra Hildesemensi subinovit altare ponens super pylarios & fecit reconciliari. In Dodere circumferentiam altaris Ecclesie addidit & fecit consecrari, in Winthusen coemeterium reconciliari. Et quia quoddam magnum Abbas ipse & Conventus suis videbantur effecisse eo quod talem Ecclesiam brevibus annis extruxissent, & cum tanta gloria consecrari fecissent; Ne forte ex ipsis factis humana fragilitas decepta vana laude extolleretur, maxime Abba. Permisit dominus post tantam gloriam , ut aliqua tentatione premeretur, ne forte quod Deus operatus est in eis, sibi attribuerent & inde gloriantur, suos labores perderent & annihilarent coram oculis Dei cuncta cernentis. Primo ergo eis tentationem ab intra ordinem suscitavit, videlicet illam visitationem , quæ facta est sub Nicolao Abate de Walckenrede, quæ quam graviter monasterium infamaverit, scilicet, qui interfueré anno domini 1442. Secundam vero tentationem eisdem statim post immisit per angelos malos ab extra, hoc est, à secularibus proximioribus civibus videlicet Civitatis Hildesemensis. Nam semper mansit displicentia, discordiam nutriens inter Abbatem ipsum & consules, eo quod eorum pastores non permisit terminos suos egredi ad terminos monasterii, sed depellebantur, aut certe ad monasterium cum gressibus minabantur. Quare Abbas sciens eos non habere jus & tamen talia presumere in iuribus monasterii, doluit valde , eo quod per hujusmodi invasiones monasterii sigillatum perire posset, cum non esset, qui prohibere eos posset, optavit à Domino occasionem sibi aliquando concedi , quatenus jus cujuslibet partis ad lucem veniret. Voluerunt illi majus damnum inferre monasterio & non potuerunt. Voluit se monasterium nostrum defendere, nec erat causa notoria. Tandem ipsi sustinere cum non possent, notorium factum perpetravunt. Unde nobis occasio defensionis tandem exorta est, ut patebit.

XVIII. *De occasione civium contra monasterium inventa propter visitationem Episcopi & monialium reformationem, & de pretiosis fenestris in Ecclesia procuratis & ab aliis & à nobis.*

ET factum est post hæc, quod dominus noster Magnus Episcopus Hildesemensis voluit reformatre monasterium Derneborg. Cumque plures per suos Prælatos tam religiosos, quam seculares, moniales ipsas frequentius visitasset, nihil in eis profecit, quia manum medentium à se repulerunt. Demum habitu consilio cum suis venit illuc idem Episcopus in propria persona cum suis Prælatis & curribus, & voluit nostrum Abbatem simul secum interesse. Tandem cum acquiescere omnino reformationi renuerent, posuit eas ad currus suos, quos propter hoc adduxerat & asportari fecit ad alia monasteria pro disciplina addiscenda. Et introduxit in Derneborg alias ordinatas virgines de Woltingerode ordinis alterius, videlicet Cisterciensium. Quod cum percepissent Cives de consulari Hildemensi & alii, qui filias, sorores sive consanguineas inter eas habebant, amaricati sunt valde. Et quia domino Episcopo atque suis non audebant se opponere, totum hoc factum Abbati impingebant, quasi totum de-

confilio suo factum hoc esset. Igitur quarebant, qualiter monasterio & Abbati possent nocere, sicut diu in voluntate habuerant. Erant inter eos, qui dicerent, se velle corpus, animam & honorem perdere, ut hoc factum vindicarent in monasterio Marienrode. Non propter illam factam monialium dispersionem, sed sub alio colore causam nocendi invenire nitebantur. Cœperunt igitur coram aliis conqueri, quod monachi non paterentur greges eorum & quod eis hanc injuriam per multos annos fecissent. Et attraxerunt quosdam de consulatu, ut, quod facere intendebant, nomine consulatus perficerent. Cumque sata nostra viridia apparerent, greges suos in eis teneri jusserunt. Cumque à nostris fratribus more solito depellerentur, citius in idipsum redibant. Tandem greges damnum inferentes, in monasterium fratres minabant frequentius. Hinc displicentiæ fiebant, hinc murmur multitudinis creabatur & male ab incentoribus informabatur, quasi pasca, à quibus pellebantur, essent civitatis & non monasterii. Hinc quædam singulares personæ ex civibus, speciales suos greges in nostris satis tenebant, quos nostri, ut prius, fortiter depellebant. Sperabant enim incentores illi malorum, quod aliquando populus moveretur contra nos, & exiret. Quod tunc tamen efficere non potuerunt, ut tunc eorum voluntas impleretur, sicut postea factum est ex eorundem machinatione & instinctu. Tempore illo Abbas Hinricus acceptavit Eimekenrode cum attinentiis in eleemosynam, donec summa trecentorum florenorum redderetur monasterio. Item dominus Magnus Episcopus dedit nobis fenestram medium circa summum altare, quam tamen Abbas solvit in propinam Episcopi. Similiter factum est de tertia fenestra, quam nomine Præpositi fecimus fieri. Quid autem fiat de prima, pendet in dubio, quæ nomine Ducissæ facta est. Magnam autem illam versus aquilonem & dormitorium Abbas equidem procuravit. Illam vero super altare corporis Christi dominus Thidericus de Tzellenstede Canonicus in Monte, approcuravit. Fenestram vero super altare sancti Jacobi illi de Rutenbarge donaverunt, propter eorum sepulturam ibidem consuetam. Interea Episcopus dictum monasterium Darneburg totaliter dedit Abbatissæ de Woltingerode & confirmavit eidem perpetuo manendum, ut ibidem conventum sui Ordinis de suis filiabus collocaret. Quod & factum est. Unde renovata sunt mala contra Abbatem & monasterium nostrum & murmur populi contra nos excitatum.

*XIX. De exitu cívium cum curribus pro ablatione lapidum de fodina. Et de consilio Abbatis requisito & de descientibus.*

**N**ocendi itaque artifex diabolus non quiescit, quin scandala nutriat in his, qui sibi obediunt parati sunt ad omne malum semper & ubique. Abbas namque multis expensis plures aggregaverat excisos lapides grandes & aptos in lapicidina ad Ecclesiæ suam perficiendam. Viri ergo illi curiosius observantes & suæ dementiæ locum invenisse putantes, suggerebant consulatui, hos lapides ad se pertinere, quia fodina illa esset facta in communibus pasca, & quosdam de suis adduxerunt, qui hoc juramento confirmarent. Consules igitur indigentes, lapidibus, ut domum vulgarem, quam iam ante destruxerant, reædificarent, faciliter persuasum habebant hujusmodi suggestionibus: acquiescere. Læti igitur, illi incentores mali, quod materiam invenissent, unde suis cogitationibus tandem satisfacere potuissent, prima die Rogationum super hoc convenerunt, illo videlicet die, quando cum reliquiis sanctorum in locum sanctum exivissent. Et dum illo tempore & loco magis Domini more Ecclesiæ exorare debuissent, ut mala pelleret, ipsi contra vacabant ad hoc, ut mala cumularent, qualiter videlicet hos lapides abducerent. Sicut enim Judæis, Christum Dominum occidere semper paratis, non nisi in Festo Paschæ permisum est: ita istis ad hoc malum promtis non nisi hoc sacro tempore implere potuerunt. Nam anno Domini 1443 his inter eos factis pactionibus tertia feria rogationum cum armata manu venientes cum curribus multis, quicquid currum in civitate & in vicinis invenire pro pecunia potuissent, ditos lapides monasterii de fodina illa auferre cœperunt. Et vix eosdem singulis diebus laborando usque ad festum Pentecostes tota vi sua abducere potuerunt. Videns vero Abbas mala multiplicata, misit ad eos quosdam de senioribus, petens, ut a talibus ausibus discederent, aut cur talia attentarent, indicarent, qui nisi contumeliam ab eisdem reportarunt. Misit iterum Abbas alios, & eisdem similia fecerunt. Tandem Abbas quæstuose indicavit domino Magno Episcopo, qui veniens cum quibusdam de ministerialibus suis ad consules, rogavit, consuluit & imperavit, ut desisterent ab hujusmodi devastatione, quia non expediret eis talia facere tam de præsenti, quam de futuro. Qui dimiserunt eum absque honore & placida responsione. Similiter aliqui Abbates Ordinis, qui visitaverant in Amelungesborn personaliter venerunt ad eos. Nec ipsos quidem similiter audire voluerunt, sed sine intermissione lapides abduxerunt, donec fodinam illam à lapidibus totaliter evacuassent. Abbas autem Hinricus tantam injuriam una cum conventu suo graviter ferebat, nec aliquem jam superesse, qui tantis malis se pro iis opponere posset & vellet. Quidam suaserunt, ut

cum

cum sacro sancto corporis Christi sacramento ad eosdem compescendos exiret, quod tamen sibi pro tunc non placuit, sed supersedere judicavit, donec sua clenodia cautius dispositi-  
sent. Interim abductis illis omnibus lapidibus, quos ad fabricam Ecclesiarum nostrarum quasi per annos duos excidimus & segregavimus aptandos putaverunt illi, nos nihil velle vel posse  
contra eos attentare, sed simpliciter lapides abductos condonasse. Abbas autem nihil contra eos attentando Clenodia monasterii prudenter disponens, celeriter asportavit, singula-  
que in monasterio ordinavit. Quo facto, requirere coepit a consulatu restitutionem. Sed illi non solum nullam restitutionem, sed insuper minas ulteriores pro responsis dederunt.  
Cumque Abbas non desisteret restitutionem petere. Interim adiit dominum Episcopum pro consiliis, qui respondit, sicut & verum fuit, ex quo ipsum tanquam dominum patris au-  
dire nollent ipsi cives, quod Abbas faceret jure suo, quae posset, ipse favaret & impedire-  
nolle. Similiter dixerunt alii Praelati clericorum & addiderunt, quod sibi vellent astare si-  
mul & contribuere, ut viriliter ageret. Unde & deputaverunt sibi virum gnarum & pru-  
dentem in talibus & expertum, qui causam hujusmodi advocatus existeret, & causam Eccle-  
siae Hildesheimensis defensaret, dominum videlicet magistrum Rotgerum Rotgeri Decanum mon-  
tis S. Mauritii Licentiatum in Decretis, & quod sibi vellent inseparabiliter assistere, cum  
necesse fuerit. Demum pro ulterioribus consiliis habendis Abbas abiit, Erfordiam ad con-  
vocationem patrum. Qui cum audissent causam, omnes sibi velle adesse atque contribuere  
promiserunt. Insuper quod fratres suos quilibet ad se missos in tali necessitate tanquam  
suis providere vellent. Sicque rediens quosdam de fratribus emisit, ut eo levius ferret ex-  
penias monasterii. Et ut adversarii viderent, fratres alibi posse manere, si iam monasteri-  
um, prout minabantur, totaliter desolassent. Erant etiam inter eos, qui nobis fideliter,  
consulebant, qui dixerunt, praelatis cleri non esse fidendum in adhæsione promissa. Nam  
eosdem magis per experientiam cognoverant exterius & in cute. Nam sic proh dolor! po-  
stea probavit eventus, non solum de ipsis, sed & de pluribus aliis nobis magis attinentibus  
tam secularibus, quam & religiosis.

*XX. De exitu civium armatorum cum apparatu bellorum,  
& de obviatione conventus cum sacramento  
dominico.*

R<sup>e</sup>putantes interim adversarii non esse pro se, quod Abbas frequenter adiret civitatem &  
loqueretur cum Praelatis & timentes sibi, mandaverunt custodibus portarum, quatenus  
neminem omnino de monasterio nostro intrare permitterent, quod & factum est. Posthac  
consilium inierunt, ut quocunque modo possent, facere vellent, ut aliquando tota civitas  
permota exire posset contra nos, quatenus hoc terrore molliti causam spolii propter ablacio-  
nenem lapidum contra eosdem non moveremus, ut timebant. Frequentius ergo submi-  
serunt greges ad pascua atque blada nostra, sperantes nos eosdem, prout antea pluries, ad  
monasterium minatueros. Abbas autem intelligens dolum eorum viriliter eosdem greges de  
suis finibus fratres expulerunt una cum custodibus, inhibuitque ad monasterium ipsos eos-  
rum greges adduci. Illi ergo videntes suum consilium propalatum, & astutiam suam sibi  
ad votum non respondere, alium modum excogitabant. Nam submiserunt quosdam, qui  
dicerent, Abbatem multos armigeros in monasterio habere, ut greges eorum videlicet vac-  
carum & porcorum abducere possent. Feceruntque hujusmodi rumorem percrebescere in-  
ter civitatem. Unde sonare fecerunt campanas pro inimicis quasi repellendis & tumultu fa-  
cto exierunt cum strepitu magno, multitudine tamen pro majori parte causam ignorante ad  
3000 hominum cum armis atque banneriis, cum variis castrorum instrumentis, quasi totum  
monasterium devastare & demolire vellent, adducentes ante se omnes greges civitatis, qua-  
per alias valvas solebant egredi, quibus devastaverunt ipsa die blada & pascua monasterii  
in circuitu per totam diem. Quidam eorum abscederunt arbusta ad dilatandam viam gre-  
gibus ad loca monasterii. Videns ergo Abbas, multiplicata esse mala, nec contentos damnis  
& malis prioribus nobis illatis doluit valde & misit ad eos, ubi inferebant, petens humili-  
ter, ut desisterent & hoc usque tertio, quos injuria affectos remiserunt. Cum ergo nec  
Dominum terræ, nec nos audire vellent, quin damna damnis cumularent, putavit iam  
tempus esse, quatenus cum sacro sancto Sacramento Corporis Domini ad injuriatores illos  
properarent, ut qui famulos ejus abierunt & contemserunt, ipsius Domini presentiam ve-  
nerentur. Convocato itaque toto Conventu ad se personitum campanæ in colloquium, qui  
cum omnes in unum consenserint, exire cum Sacramento & secum periculum inire cum si-  
mul omnes dixissent, suum Confiteor, absolvit eos ab omnibus peccatis suis, postquam  
ipse confessus erat. Et quamvis totum pondus prælii hujus verteretur in Abbatem, ipse ta-  
men per omnia corpore & animo paratus erat mori pro fratribus in hac causa. Nam soliti  
erant adversarii dicere: quamdiu superest Abbas, impossibile est pacem esse negotiis. Fra-  
tres igitur suos coram se positos iam absolutos & ad periculum paratos armavit non clypeis,

aut

aut hasta, munito, sed sermonibus bonis & exhortationibus, prout tempus permisit, de quibus animi fratrum confortati sunt. Omnes ergo in unum statuerunt dimicare & confligerre fortiter, ut virtus de negotiis iudicaret, & quod iura & possessiones monasterii periclitarentur & sancta eorum Ecclesia deperiret, & ut securi ipsum sequerentur pra oculis habentes tantam injuriam monasterio illatam. Omnes igitur simul benedixerunt misericordem Dominum & convaluerunt animis non solum homines, sed & bestias & greges eorum penetrare. Ad quos iterum Abbas, ne timueritis (inquit) eos, nec multitudinem eorum, quia plures sunt nobiscum, quam cum illis, & impetum eorum ne formidetis. Iussitque eos indui albis sacratis omnes stolis & manipulis, prout quilibet in se sacrum habuit ordinem. Abbas vero superinduit cappam chori albam & diaconus & subdiaconus dalmaticas albas. In choro itaque Ecclesie processionaliter ordinati cum cruce & tintinnabulo, Absconsam quoque majorem cum luminibus. Diaconus vero alteram crucem ante Abbatem portavit. Abbas cum reverentia debita pyxidem sive monstrantiam deauratam cum corpore dominico sumisit de ciborio. Fratribus conversis monasterium & Ecclesiam ad custodiendum commisit. Et exivit ante eum totus conventus & post eum statim clausum est monasterium. Ibant autem humiliter & ordinate & Abbas cum Sacramento post eos cum diacono & subdiacono per ante adversarios usque ad locum, ubi damnum per greges intulerunt, petentes pro reverentia Domini, ut adhuc cessarent ab injuria illa. Quod multi videntes & audientes inter eos, qui simplici animo egressi fuerant, præ confusione & tristitia regressi sunt in civitatem. Abbas autem & conventus orationes suas circa eundem locum in agro legendο & cantando compleverunt, adversariis circumstantibus & auscultantibus, quæ fiebant. Cumque non cessarent & greges non à nostris pascuis & agris depellerent, imo & arctius tenebant per medium eorum euntes versus civitatem tendebant, non attendentes eorum comprehensionem, comminationem & opprobrium. Incedebant ergo morose per eos & cum gravitate legentes & cantantes. Et quidam de civibus comitabantur cum reverentia & devotione usque ad portam civitatis. Quæ cum propter eos esset clausa & aliqui de consulibus custodirent eas, ut nullus de monasterio ingredieretur. Abbas jussit aperiri, custos respondet, sibi inhibitum à consulatu. Statim habens secum notarium Abbas inter fratres, requisivit eundem, & ille testes de civibus circumstantibus. Quo facto statim ivit cum conventu ad cœmeterium sancti Johannis proximum, eandem ecclesiam apertam intraverunt cum Sacramento, facientes ibidem orationes, ut iam in agro fecerunt, obstupentibus omnibus, qui aderant & admirantibus constantiam monachorum. Completo autem officio in Ecclesie & exposita ab Abbe stante cum Sacramento ante altare in medio Ecclesie causa istius litanie iverunt cum processione versus Montem S. Mauritii, ne forte per ante Carthusiam eadem via, qua venerant, revertentes obvium haberent exercitum de agris cum gregibus & armis revertentium. Cursim igitur transiunt, quod sero erat sole occidente venerunt ad monasterium, campanis ibidem sonantibus. In albis igitur sacris vesperas celebrarunt, quia tempus non habebant exuendi. Patrata sunt hæc omnia dicto anno ipso die translationis Benedicti Abbatis patris nostri. In significatione, quod per hoc factum translatio sive emissio fratrum professionis S. Regule Benedicti de loco monasterii, ut prædictum est, fieri expediret.

*XXI. De emisione fratrum, de causa coram judge, et de applicatione adversariorum à sententia.*

**O**mnes igitur de consulatu in hoc facto confusi sunt, maxime illi, qui autores mali erant istius, perturbationem incurserunt, cum viderent se nihil proficere, ut scilicet monachi territi refusionem lapidum non requirent, imo è contrario audaciores & constantiores factos conspicerent. Attamen non cessantes altera die cum gregibus ad eundem locum accederunt cum custodibus armatis. Similique modo quasi per dies octo fecerunt; monachi autem semper observantes, cum illi, qui custodiebant ad cœmeterium regredierentur, ipsos greges viriliter depellebant una cum pastoribus facientes protestationes coram notariis & testibus. Tandem fatigati adversarii & deterriti à modo cum gregibus ibidem non venerunt neque manserunt usque in hodiernum diem. Sed portana civitatis clausam tenuerunt coram eis, nec quisquam de monasterio intrare permisus est. Interim Abbas quosdam de fratribus emisit ad certa monasteria Ordinis, retento Priore cum paucis secum in monasterio. Adversarii vero dispositionem Abbatis curiosius perscrutantes submiserunt quosdam, qui dicerent Abbatem, se velle pecuniis pro lapidibus monasterio satisfacere. Sed hoc in dolo, quatenus abbatem ab exceptis, quibus timebant, impedirent. Sed abbas tantam violentiam & injuriam sibi & suo monasterio coram toto mundo notorie factam considerans, iam non solum requirebat lapidum refusionem, immo & satisfactionem de damnis & injuria enormiter insuper illatis. Emisis igitur fratribus & singulis in monasterio dispositis tam consulatum quam civitatem Hildensem sicut conveniri & ammoneri per dominum Praepositum beatæ Virginis in Erfordia, subdelegatum à domino Decano S. Alexandri Eimbecensis,

Con.

Conservatore monasterii principali. Qua monitione insinuata cœperunt expetere placita, inter quæ aderat Abbas semper cum quibusdam Abbatibus Ordinis & alijs amicis monasterij. Cumque placitis ipsis frequentibus nihil concluderetur, sed magis expense fierent, alienavit se Abbas à monasterio ita, quod de facili non potuit haberi ad manum fratribus non ignorantibus, ubi moraretur. Cumque post testium productionem & depositionem tandem sententia contra eos lata fuisset, ut tempus redimerent, ad Principalem appellarunt, ut inhibitionem ab ipso extorquere possent. Tunc illi, qui nobis adhæsionem promiserant, sicut non toto corde id fecerunt, sic occasionem recedendi à nobis coram hominibus invenerunt, immo egerunt, ut dominus Episcopus non se teneret nobiscum, sicut semper nobis fidelis extiterat. Imo comminabantur tam Episcopo, quam clero, sicut edicti à clero fuerant. His accusationibus recesserunt ab Abbat excedentes à promissionibus suis, immo non solum, sed & additi sunt adversariis, assistentes eisdem contra nos publice & privatum, totis viribus suis, quamvis dominus Episcopus valde invitatus hoc ficeret & agere contra conscientiam suam cum omnibus, qui eundem quodammodo ad hoc cogerent. Cumque interdictum strictissimum auctoritate Apostolica preceptum fuisset coram adversariis servandum ipsi, e contra occasione neutralitatis accepta nullum mandatum admiserunt. Dominus interim Decanus Embeccensis sciens, se causam defendere non posse, commisit rursus curandam domino Decano Frislariensi, ut sententiam Präpositi vel justificaret vel infirmaret. Quam cum post debitos juris terminos approbasset, condemnavit adversarios in expensis. Quas cum omnino non refunderent, in sententias excommunicationis inciderunt ab ipso latas & aggravatas & cetera. Dominus ergo Präpositus Erphordiensis post approbatam suam sententiam declaravit adversarios incidisse, unde & interdictum strictissimum coram eisdem mandavit observandum. Adversarii vero ab ipsis sententiis utrorumque judicum appellaverunt ad Papam vel Concilium Basiliense, ad Episcopum Magdeburgensem vel ad suum proprium Episcopum Hildesemensem. Clerus igitur Hildesemensis non curavit mandata judicum nostrorum super interdicto præter aliqua monasteria religiosorum. Quosdam vero de clero volentes obedire mandatis prohibuerunt etiam manu armata. Adversarii insuper Ecclesiastica sacramenta ministrarunt, ac si bene fecissent notorie nostrum monasterium spoliando. Ipsi Consules, arrestatis auctoritate Episcopi bonis & censibus nostris, non ausi tamen sunt retinere proventus nostros apud se, quin ipsis fratribus in monasterio consistentibus per omne tempus litis hujus presentarent. Cum igitur Episcopus coactus nos excommunicari mandasset de facto, & non tenendum interdictum mandasset, faciente neutralitate, appellavimus super hoc ad Metropolitanum Dominum Maguntinem, non tanquam ad nostrum judicem, sed necessitate temporis constrieti. Nunquam etiam querelam in scriptis fecimus civitatum vicinarum consulibus & comitatibus atque Principibus ac Vasallis, quamvis multis injuriis, ut præmittitur, provocati. Quod quidem ex cautela atque certa ratione obmissum est usque ad tempus oportunum. Cum enim ipsi postea scripsissent civitatibus querulando de nobis, quod concordiam quandam, ut estimarunt, cum eis initam, quam non teneremus. Et rescribentibus nobis super hoc civitatibus illis & adversariorum scripta remittentibus, coacti tandem sumus rescribere illis, non equidem mendacium, sed totius rei gestæ veritatem, una cum sigillis & literis prælatorum, qui interfuerunt. Confusa est multum pars adversa & erubuit ita, quod maluissent querelam non movisse. Interim causa nostra contra clerum incepta in Maguntia vertebatur, illis fortiter è diverso laborantibus.

*XXII. Quod abiit Abbas bina vice ad Dominum Regem Romanorum,  
et de placitis extra terram factis.*

Dominus vero Decanus sancti Mauritii supradictus dirigebat ambas causas tanquam fideliis advocatus in omnibus, & ob hanc causam exul ab Ecclesia propria alibi extra diocesis moram traxit. Abbas autem de monasterio ad monasterium, de civitate ad civitatem transmigrans & moras trahens semper in confiniis, ubi causa circa judices tractabatur, affuit oportune. Insuper singula quamvis absens circa fratres tam extra, quam intra scriptis suis infatigabiliter disponebat. Cumque lis ista jam durasset fere per duos annos, Abbas videns adversarios obstinatos propter neutralitatem, abiit ad Dominum Fredericum Regem Romanorum in Austria & in ultimos fines Austriae pro ex quirendo brachio seculari, anno Domini 1445 initio quadragesimæ. Quem quidem Regem de gratia Dei gratiosum sibi reperiens scriptis adversariis, ut infra certum tempus Abbati satisfacerent de suo mandato. Sed Abbate reverso, Regis mandatum ita attenderunt, sicut antea mandatum Apostolicum. Interim adversarii in Embecka in absentia Abbatis habuerunt placita cum conventu & amicis monasterii, sed nihil profecerunt. Similiter in Goslaria jam præsente Abbatie, nec ibidem adversarii concludere potuerunt. Igitur Abbas circa festum pentecostes ejusdem anni, secundo abiit ad Regem Romanorum, unde facta est grandis alteratio inter adversarios, quis eorum contra Abbatem mitteretur ad Regem. Unde & quidam à consulatu defecerunt in illo tempore. Abbas vero iterum Dominum Regem adiit, sibi intimans adversariorum pertinaciam. Unde Rex satis commotus, volens tamen adhuc primo non rigore procedere, mandavit Dominus Dux

Mmm

Wl.

*Willm Brunsuicen*, quatenus auctoritate sui causam amicabiliter pertentaret componere ante sententiam suam. Quod si non posset, sententiam suam absque dubio Hildenses hemenes sentirent. Igitur, ut dictum est, consulatus jam ad discordiam inter se venerant, ut in quorundam locum *descendentium* alii locarentur. Interim & placita facta sunt ab adversariis & fratribus & amicis in *Hanover*, praesente Domino Decano, sed nec ibi aliquid conclusum est pro concordia. Crevit autem seditio in adversariis, ita quod pene totus consulatus à communitate depositus fit, afflue in locum restituti. Abbas autem reversus à Domino Rege Romanorum secundo, adiit Dominum Ducem. Qui accepto mandato designavit dietam partibus primo & secundo. Sed cum impediretur aliis negotiis, tandem eodem anno supradicto insinuavit certam dietam Simonis & Judæ in oppido suo *Pattenbusen*. Quo cum partes convenissent, placitatum est sere per duos dies in vacuum. Nam pars adversa conquerebatur, quod suos ibidem necessarios habere non posset. Unde petierunt, quod de consensu posset esse Abbatis & conventus, ut vel in civitate Hildesemensi vel saltem prope dietam poneatur. Sed Abbas civitatem sibi semper in illa causa clausam intrare noluit, donec causa totaliter esset sopita. Quare consensu dietam continuandam in Carthusia prope civitatem.

*XXIII. De concordia cum civibus plenaria, auctoritate Domini Regis Romanorum et confirmatione.*

**E**gressus igitur Abbas dictum oppidum cum fratribus suis, quos semper in hujusmodi se. cum assunxit simul cum venerabilibus patribus & dominis *Abbaribus Nicolao de Walkenrede, Sandero de Amelungesborn & Balduino de Riddageshusen*. Insuper cum quibusdam de ministeriali- bus amicis monasterii Domino *Hermann Bock, milite, Bertoldo & Sifrido de Rutenbarge, Eustacio Bocke*, inter quos & dominus Decanus sancti Mauriti, intraverunt Carthusiam & placitatum est ibi continuis diebus, etiam in festo omnium Sanctorum & per totam diem sequentem, omnium animarum. Et tandem, à pluribus religiosis suppliciter exorato domino, ipso die fidelium omnium animarum causa sopita, concordia facta est. Vitabat enim consulatus amplius protrahere concordiam, quia avizati fuerunt, ut finem darent negotio, quia sententia lata esset in Maguntia contra clerum, ne ex protractione damna iplis irrecuperabilia provenirent, & discordia major fieret, imo & sententiam domini Regis Romanorum contra se iam iamque progredientem timerent. Post multas itaque altercationes, deliberationes & involutiones hinc inde propositas, tandem ad amicabilem concordiam perpetuo, ut speramus, profuturam monasterio atque duraturam perventum est. In qua concordia conclusum est, quod pro omnibus damnis illatis & injuriis in promptu darent 1400 florenos, & pro quibusdam montibus sicut (\*) *Gelboe & planis* ante positis, quos eisdem dimisimus; Insuper curiam nostram Hildensem cum parva area annexa perpetuo liberas redderent ab omni pa- ño hucusque consueto quounque modo; Eaque à modo tenerent in terminis, quos iisdem assignavimus per fossatum ab ambabus partibus elaboratum; Bona quoque nostra, quæ antea ad certos annos habuerant, dimitterent, nec eisdem dimissis a modo qualitercumque uterentur; Defisterent quoque ab omni impietate bonorum monasterii in circuitu suo, nec terminos sibi positos transgrederentur. His igitur pacis ex utraque parte concessis & datis hinc inde dextris pacis & amicitiae cum lachrymis atque suspiriis plurimorum, firmatisque omnibus per Dominum Ducem, ipse quoque se orationibus nostris commendans, discessit cum suis Vasallis quam pluribus atque cancellariis, quos in istis placitis continuo secum habebat. Nobis autem, maxime vero consulibus atque civibus in communis gaudientibus facta est quædam serenitas atque tripudium post tristia nubila & diurna. Et licet consules atque communitas Hildensem civitatis essent condemnati per judices nostros atque per dominum Regem Romanorum ultra octo millia florenorum; attamen propter cohabitationem cum eis atque vicinitatem perpetuam de consilio patrum & amicorum condescendit Abbas & conventus eisdem civibus ad hujusmodi concordiam perpetuo manendam, ut premissem est. Facta est autem hæc concordia gratia Dei anno nativity Christi 1445. ipso die omnium fidelium animarum, videlicet altera die post festum omnium Sanctorum, anno vero promotionis Abbatis Hinrici nono decimo, litis autem secundo cum dimidio à tempore spoliationis lapidum usque ad hanc concordiam pacis. Hac itaque pace inita atque scriptis & sigillis firmata, omnibusque rite ordinatis & pacatis, Hinrico Abbe singula disponente, citius revocati sunt fratres in unum de diversis monasteriis; quorum tunc nec unus quidem per tantum tempus obierat, nec aliquis de his, qui in monasterio resederant, imo nec eorum quicquam gravem infirmitatem interim perpessus est. Ut ergo pro beneficiis hujusmodi, sanitate, victoria atque triumpho in tanta re sere ab omnibus desperata, donatori Domino Jhesu Salvatori nostro, ejusque gloriosæ matri Mariæ, cuius & patrocinio adjuti sumus, in æternum decantaremus, nomen sanctum ejus, & victricem manum ejus laudaremus, pariter omnes convenientes reincipimus divina plenarie in choro semper a nobis peragenda post duos an-

nos,

(\*) An leg. facias.

hos, quibus propter fratrum absentiam erant dimissa. In festo itaque S. Elisabeth plenas vesperas primo peregrimus, & sequente die Festum S. Barnwardi plenarie celebravimus. Sicque non cessavit huc usque a nobis actio divinorum, nec cessabit illa vox laudis & gratiarum actio ab ore nostro & ab ore feminis nostri in aeternum, domino dante benedictionem & locum matris sue defendente atque jugiter benedicente. Amen.

*XXIV. De abolitione mandati & arresti Episcopi; Et de sententia Maguntini contra Clerum & Episcopum.*

**M**Emoratus autem dominus *Episcopus Magnus*, ut praemittitur, ad hoc inductus fuit, ut omnes sententias legitime latae nostrorum conservatorum contra cives, colore neutralitatis, penitus tolleret, & cives absolverat & inhibuerat interdictum, licet invitus; unde dixerat: Scio, quod non habeo jurisdictionem in istos religiosos, sed ex quo debeo, liget, in quantum valet. Unde & omnes sententias de facto in nos promulgavit. Quapropter ad Maguntinum, ut supra patuit, appellatum est a nobis & diutius ibidem in judicio res acta est. Tandem sententia lata est etiam ante nostram concordiam cum civibus. Sed post concordiam venit ad partes. Cujus sententiae latio de proximo futura coegerat per maxime consulatum ad festinationem concordiae antedictae, ut supra dictum est. Sententiae hujusmodi de verbo ad verbum prolatio est. *De juris peritorum consilio & assensu per hanc nostram sententiam seu ordinationem, quam in his scriptis ferimus, Christi nomine invocato, pro tribunali sedentes, & solum Deum præ oculis habentes pronunciamus, decernimus & declaramus prætensos processus per dictum Reverendum patrem dominum Magnum Episcopum Hildesemensem & honorabilem virum Borchardum Tatze assertum officialem de & super processibus Apostolicis executorialibus per venerabiles viros dominios Hinricum de Gerpstede Præpositum beatæ Mariæ Erphordiensis & Happellonem Catzman decanum S. Petri Frislariensis Ecclesiarum, occasione sententiarum, per eos pro dictis dominis Hinrico Abbate & conventu & contra proconsules & consules & communitatem civitatis Hildesemensis super manifestis violentiis, rapinis, spoliis & injuriis, aliisque rebus tunc deducitis & eorum occasione factis & decretis & eorum prætensorum nullitate communiter & divisim quomodolibet sua auctoritate factos & habitos; nec non eorundem processuum apostolicorum executorialium per dictum Borchardum factam cassationem, irritationemque & innovationem, ac prætensam sententiam per eundem Borchardum, qua præfatos dominos Hinricum Abbatem, utrosque Theodericum & conventum ad carceres ac mille ac quingentos florenos condemnavit; nec non prætensam executionem cum omnibus inde securis, & in eosdem dominum Hinricum, Theodericum utrosque & [ad] interdictum in conventum latas sententias fuisse & esse cassos & irritos, cassas & irritas & inanes; ac sicut de facto processerunt dicti domini Episcopus & Borchardus ita per nos cassandos & revocandos fore, [uti] & cassamus & revocamus & annullamus; Ipsisque proconsulibus, consulibus, civibus & communitatibus ac Burchardo prædictis de & super nullitate dictorum processuum Apostolicorum executorialium perpetuum silentium imponendum fore [decernimus] & imponimus. Et eosdem proconsules, consules, cives & communitatibus in expensis litis condemnamus, ea runderemque expensarum taxationem nobis in posterum reservamus. Hæc est forma verborum latæ sententiae. Nos ergo non indigentes Juris absolutionem à sententiis Episcopi, sed tantum fecit inhibitionem illis, qui hujusmodi exequabantur suas sententias. Cives autem & consules habito consensu nostro, [per] prædictam concordiam, se procuraverunt absolvi. Abbas autem Hinricus post hæc reduxit clenodia monasterii omnino integra. Sacrosanctæ vero reliquæ nostræ sunt à conventu cum debita reverentia solenniter receptæ & cum gratiarum actione reconditæ humiliter & devote. Et quamvis ista lis nostra per longum tempus duraverit, tamen nec Episcopus nec cives aliquam ultra violentiam in bonis monasterii irrogarunt. Episcopus quoque jam facta concordia mandavit his, apud quos bona monasterii in villis arrestari fecerat, quatenus tunc ea nobis integra indilate cum retardatis restituerent, sub certis pœnis, nisi quantocius parerent. Præfatum etiam contractum concordiae licet ipse Episcopus non interfuerit, nec aliqui de clericis suis, ratum tamen & gratum habuit cum omnibus condependentiis suis, ipsumque cum suis propriis scriptis & sigillo, ac si præfentaliter interfuisset, non distulit perpetuo manendum confirmare, omnemque priorem suam amicitiam Abbatii & conventui innovare, quam & retinuit nobiscum usque ad diem mortis sue.*

*XXV. De fratribus conventionalibus et eorum valetudine, et de beneficiis tempore hujus Abbatis nobis exhibitis requirentibus dignas gratiarum actiones.*

**A**Et post hæc monasterii, recollectis fratribus emissis cœpit Abbas per id tempus negligēta

glecta instaurare intra & extra. Reposuit autem illud cantelabrum solemne reductum in presbyterium una cum aliis clenodiis reportatis. Emit interea de summa pecunia à consulatu percepta quartale decimæ in *Honover*, quod monasterio pérpetuo manebit; item bona alia pro aliis sexcentis florenis. Adhortabatur fratres de diversis monasteriis revocatos, ne quis eorum adhæreret moribus monasteriorum, quos didicerant. Nec etiam de talibus sermocinari auderet coram fratribus, nisi ab Abbe atque priore interrogatus esset, ne forte, inde turbati, non possent unanimis in domo fratres & concorditer habitare. Fratrum autem, cum convenissent de monasteriis revocati, ad eos, qui in monasterio resederant, erat numerus copiosus. Quorum partem maiorem idem Abbas Hinricus ante dispersionem hujusmodi ad conversionem suscepserat. Nam exceptis illis 26 fratribus cum conversis, quos invenerat, cum venisset ad regimen, ipse infra annos 25 sui regiminis suscepserat ad conversionem cum conversis 36 personas, quorum plurimi in pestilentis obierant, quidam ad alia monasteria translati sunt; pauci etiam proh dolor apostatarunt. Omnibus igitur & singulis hujus cronice præmissis pensatis atque *masticatis*, patet manifeste, quantum omnipotens Deus & misericors fecerit circa exiguum conventum nostrum, à principio beneficij & gratiæ. Unde merito semper sit benedicendus jugiter & laudandus votis & operibus à congregazione hujus monasterii Marienrode, quam tam frequenter de angustiis & summis tribulationibus defensaverit atque liberaverit, eam protegendo & victoriam de adversariis eisdem magnifice concedendo. Quorum beneficiorum plurimorum, quatenus pro magnifica memoria jugiter à fratribus sunt commemoranda. Primum cum in principio patres nostri & prædecessores missi erant in *Isenhagen*, ubi erat terra sterilis & deserta, insuper ipsi incendio vastati & quodammodo derelicti, affuit eisdem benignitas divina & educi fecit nos de terra illa in terram fertilem & in jam ædificatum & dotatum monasterium prius tanquam de terra Egypti in terram promissionis, & dedit eis locum istum cum bonis omnibus & juribus & omni exemptione & libertate majore, quam illi habuerunt, qui locum hunc ante eos possedeant. Secundum beneficium est, quod post plurimos annos cum in illam magnam & diutinam guerram & tribulationem incidenter tempore schismatis Hinrici Episcopi de Brunswicensibus Ducibus affuit & tunc solita misericordia domini Salvatoris nostri, cum quodammodo de loco desperarent propter bonorum meliorum spoliationem atque gravium debitorum oppressionem, potentiamque tyranni atque suorum. Tandem in ipsis angustiis & desolationibus per tempus derelictos rursus consolatus est & reduxit eosdem ad bona sua & ampliora providit, cum idem Episcopus coactus est pro bonis ablatis satisfacere & bona licet alias, atque meliora pro bonis retentis perpetuo assignare. Tertium beneficium cum post hoc propter gravamina debitorum & personarum inordinationem, bonorumque obligationem iterum quodammodo perissent, solita gratia divina clementer eosdem respiciens reduxit ad observantias regulares, debitorumque sublevationem arque bonorum recuperationem per adventum atque regimen domini Hermanni de Peynis, suosque successores. Quartum jugiter recollendum beneficium, cum novissime diebus ipsis, tempore videlicet hujus Hinrici Abbatis, à domino Hermanno de Peynis cursu annorum viginti, quibus currum monasterii aurigavit, maxima beneficia sua pietatis Salvator noster circa conventum nostrum ostendit, cum recuperata sunt bona nostra meliora, tempore Alberti sui prædecessoris periculose alienata, jura videlicet molendini nostri ante Hildesem, & super hoc bona illa nostra nobis propinqua, civibus ad annos [deest annorum numerus] incaute locata. Insuper Ecclesia antiqua submota & nova in loco locata atque dedicata. Ex quibus patet, quod quatuor præcipue magnifica tempore hujus Henrici Abbatis circa conventum hujus monasterii Marienrode singulari Dei munere contigerunt. Quorum primum est, quod idem molendinum, quod consules ita obrupte sibi attraxerant, ad hoc induicti sunt, ut ab eodem Hinrico Abbe feudi jure reciperen, & feudarii ipsius & monasterii fierent, atque unum talentum, quod monasterium de porcis impinguatis dare annuatim consueverat, totaliter monasterio dimitterent retinendum. Insuper novas literas & munimenta super horum omnium cautionem darent atque sigillarent. Quis hoc sperare potuit de homine, quod tam fortes occupaverant, nisi Deus adjuvasset nos atque confortasset, cum abbas etiam proposuisset aggredi cum illis litigium, quod postea cum eis propter invasionem aliorum bonorum finaliter consummavit. Secundum, quod tempore ejusdem Hinrici Abbatis manifesto Dei auxilio submota est & destruxta antiqua Ecclesia, quod opus antecessores sui aggredi non audebant, propter pericula, quæ cernentibus imminere videbantur. Quæ si submota fuissent, sine dubio antecessores sui videlicet dominus Hermannus de Peynis & dominus Johannes Ecclesiam ædificare incepissent in loco oratori destructi, cum & idem dominus Johannes, ut prædictum est, in cœmterio, quod adhuc manet continuatum extra Ecclesiam cœperit ædificare. Tertium, quod idem Abbas Hinricus una cum conventu suo, adjuvante sibi altissimo, sine quo in vanum laborat, qui domum ædificat, ut talem Ecclesiam novam solemni more primus in loco eodem exeret, eamque cum maxima solennitate totius terræ dedicari procuravit, cum nec aliquis sperare potuisset, quod in ædificando proficere prævaleret, cum ne-

que

que divitiae neque experientiae in hujusmodi sibi subessent. Quartum, quod idem Abbas novissime diebus istis convenire judicialiter non verebatur consulatum & cives, eo quod non contenti bonis & pascuis eis à suo prædecessore locatis, sed iam ablatis lapidibus excisis, etiam cætera bona monasterii per circuitum occupare niterentur. Nec veritus est animositates eorum, quas saepe suis prædecessoribus, sibique exhibuerunt, neque multitudinem & magnitudinem magnæ & vicinæ civitatis populi, qui & majora bona & censualia monasterii apud se introrsus habebant. Sed ipse & conventus in Domino confisi contemserunt pericula semel, ne semper periculis subjacerent. Nam in hac causa habuit cives & consulatum contra se, sed & dominum terræ postea atque totum clerum cum eorum Prælatis atque Doctribus, contra se totis viribus decertantes. Deo autem disponente, in causa illa semper jure nostro superavimus, donec tandem post plurimos & diuturnos agones ad victoriæ perveniremus. Nam in omnibus his non reliquit nos Salvator noster misericors Deus à defensione sua, cum insuper & triumphum nobilem concederet nobis, quatenus ipsum propter hoc semper benedicentes atque laudantes à modo cum pace vicinorum in monasterio tranquilli commoremur adversariorum tumultu hactenus temperato & ab injuriis in silentium redacto.

*XXVI. De debita gratiarum actione pro beneficiis Deo exhibendis jugiter & devote à nostra congregazione  
atque cœnobio.*

Fæcta sunt autem hæc atque permitta a Domino Deo universorum gubernatore in bonum nostri successorumque. Namque quum ipse sit summum bonum, nihil facit vel fieri permittit, nisi propter bonum, quod quidem ipse solus de malis contingentibus facere potest. Unde semper benedicendus est in omnibus operibus suis. Igitur & nos de magnis periculis à Deo liberati magnifice gratias agamus ipsi, utpote qui contra tales populos tam antiquos, quam modernos dimicavimus & prosperatum est in manibus nostris, ut convincerentur adversarii nostri. Abbas autem & conventus in hymnis & confessionibus benedicebant dominum, qui tam magna fecit in eis & victoriæ dedit illis Dominus omnipotens. Quæ victoria suffecisset, etiam si nulla summa pecuniarum refusa fuisset. Unde exultet cœlica turba cœlorum, exultent divina mysteria, & pro tanti regis Christi victoria turba fratrum jugiter intonet salutaris & laudu. Nam fratres charissimi, magnum periculum est ingratos esse homines Deo & per oblivionem beneficiorum ejus, nec de correptione compungi, nec de remissione lœtari, quales vox Prophetica increpasse videtur, dicens: flagellavi eos, nec doluerunt; castigavi eos, & renuerunt accipere disciplinas. Item: non sunt recordati manus ejus die, qua redemit eos de manu tribulantis. Et oblii sunt Deum, qui salvavit eos, nec fuerunt memores misericordie suæ. Optima igitur beneficiorum custos est ipsa memoria beneficiorum & perpetua confessio gratiarum. Igitur ammoneo vos, ut Dominum semper benedicatis, si venerint mala, benedicite, & dissolventur mala, si prospira verebunt, benedicite & prosperabunt prospera. Quid enim melius & animo geramus & ore promamus, & calamo exprimamus, quam Deo gratias. Hoc nec dici brevius, nec audiri lœtius, nec intelligi gratiofius, nec agi fructuosius potest. Ad gratiarum autem actionem pertinent beneficia, quæ accipimus, diligenter recolere, subtiliter intelligere, fideliter considerari, studiose conservare, beneficium Dei diligere & promptius ei obedire, ejusque offensionem semper cavere & gratiam acceptam non otiose negligere. Et hanc gratiarum actionem non tam verbo vel lingua, sed opere & veritate exhibeamus nos non ingratos, non enim gratiarum dictiōnem, sed gratiarum actionem exigit à nobis retributor beneficiorum. Quis ergo hoc cœnobium reformat saluti, quis à periculo eruit, quis à cæde defendit? nonne orationes sanctorum? quorum pretiosæ reliquiae apud nos sunt, & aliorum sanctorum, quorum utique precibus divina censuræ flexa sententia est, ut, qui merueramus iram, servaremur ad veniam? Ideoque in signum hujus in festo omnium sanctorum, cum per tantum temporis duraverit lis, ultima in pacem & concordiam redacta est. Tangat obsecro, dilectissimi, cor vestrum illa sententia Salvatoris, qui cum decem leprosos misericordia virtute emundasset, unum tantum ex eis dixit ad agendas gratias revertisse, significans videlicet de ingratis, quod huic pietatis officio, etiam corporis afflicti sunt sanitatem, non tamen sine omni impietate fuerunt. Ne ergo ista ingratitudinis nota vobis etiam poscit adscribi, convertimini semper ad dominum, intelligentes mirabilia, quæ in vobis dignatus est operari, & liberationem vestram non casui, sed ineftabili omnipotentis Dei misericordia deputemus, qui corda furentium tandem mitigare dignatus est. Ad tanti igitur vos beneficij memoriam toto fidei vigore convertite, quod ut beneficium nobis maneat atque multiplicetur, gratiarum actionem quasi conditionem à nobis exigit dator gratiarum Jhesus Christus, Deus ac Dominus noster, qui cum patre & Spiritu Sancto vivit & regnat per immortalia & per omnia seculorum. Amen.

*XXVII. De tardatione extractionis Ecclesiae ad modum templi in Jerusalem  
olim, & de partibus reliquiarum nostrarum & destructione reli-  
que partis antiquae Ecclesiae.*

**E**volutis istis quatuor annis post dedicationem in tribulationibus præfatis nihil interim aëtum est de ulteriori consummatione Ecclesiaz, imo per ista mala intermedia non solum retardata est, verum etiam quodammodo desperata ejusdem Ecclesiaz perfectio, cum tot & tanti lapides ad hoc excisi ablati sint. Sed contigit oratorio nostro, sicut olim factum est de templo, quod filii Israel post reversionem de Babilonia ædificare coeperunt in Jherusalem. Quod quidem opus per vicinorum improbitatem retardabatur, ut vix per 46 annos consumari potuisset. Sic & huic Ecclesiaz quodammodo similis facta est impedio. Et potest fieri, quod etiam per tantum tempus propter hoc ipsius perfectio protrahat. Si enim à tempore inceptionis numeretur, id est, ab anno undecimo usque ad annum 57, sic numerus annorum intermedium erit 46. annorum. Recuperata itaque lapidum fodina, qua etiam spoliatus esset Abbas, cœpit insistere laboribus sine intermissione iterum pro lapidum excisione pro Ecclesiaz extructio. Readunatis igitur fratribus divina officia, ut antea consueverant, reinciperant in Ecclesia coram sacrostanto Sacramento domini nostri Ihesu Christi, & sacris reliquis nostris integre reductis & repositis, quarum copiosus ibidem est numerus, tam ex illis, quæ ab antiquo fuerunt apud nos, in Ecclesia nostra, quam illæ partes, quas Abbas noster Hinricus de diversis locis & monasteriis Ordinis adduxerat, & quæ sibi missæ & datae fuerant, præcipue de reliquiis sanctarum Virginum 1100. quarum plura capita cum quibusdam quoque totis corporibus sibi destinata sunt. Quasdam etiam spinas sacras de sancta corona Domini, quas sibi direxit & contulit dominus Abbas de veteri campo. Et sunt de parte corone domini, quam tenet apud se in regno suo Rex Francie. Præterea etiam quandam solennem partem de quadam costa exusta beati Johannis Baptizæ, pro qua dedit domino de Ridageshusen unum digitum de brachio & manu B. Barbaræ Virginis & martyris. Et plures alias partes reliquiarum sanctarum ibidem Abbas Hinricus procuravit. Et quamvis pro tempore cum fratribus divinis interesset, consummatio tamen Ecclesiaz de animo ejus non recessit, quamvis plura alia negotia ipsum ex parte monasterii frequentius involverent. Indesinenter igitur lapidum præparationi insistebat. Cœpit se ergo ad futurum opus præparare, fornaces calcis procurare sivit, & plures fornaces ante formaverat, mundare etiam locum antiquum Ecclesiaz & transferre casam latomorum de cœmeterio ad locum aptiorem, ubi nunc est, deinde destruere ædifica antingentia turrim antiquam ex utraque parte. Tandem post hoc accitis operariis eandem turrim, quæ sola ex antiqua Ecclesia remanserat, aggressus totaliter una cum fratribus evulsit à fundamentis, & sepositis lapidibus, mundari fecit totum locum usque ad Ecclesiam novam ab utraque parte. Anno vero 49 poni fecit omnia fundamenta residua partis Ecclesiaz in profundum & in latum, uti alia fundamenta Ecclesiaz fortia posuerat de magnis lapidibus per circuitum maximè parietem occidentalem cum pilariis apodiciis in lateribus extra Ecclesiam futuris. Posito igitur isto fundamento profundo, lato & forti eo anno superædificatum est per circuitum ita quod murus absidæ versus ambitum suam adipsiceretur altitudinem, aliis muris in opposito alterius absidæ cum dupli muro & fundamento & arcubus quatuor pro altaribus & secreto repositorio pro parte surrexerit, similiter & pars occidentalis cum fortiori pariete & figurazione januæ majoris.

*XXVIII. De anno jubilæo & de locatione organorum & de Domino  
Cardinali & de his, que post ejus recessum facta sunt  
& de cœfessione Abbatis.*

**Q**um vero illuxisset annus 50. qui tunc jubilæus à Domino Apostolico nunciabatur, decimus vero à dedicatione Ecclesiaz, organorum nostrorum opus compositum atque completum ad decorum domus Dei & fratrum sublevationem & allevamen in divinis, & cœperunt primo canere in festo assumptionis gloriose Virginis Mariæ, Patronæ nostræ. Super quibus quidam sic composuit:

Anno milleno cum C quater L superaddo  
Tunc opus hoc anno præsens statuit jubilæo  
Archimandrita decoris causa domus ista.  
Nam facie templi mos est hinc organa ponî  
In Christi laude, matrisque suæ benedictæ  
Omnibus angelicis cuneis, cunctis quoque sanctis  
Spiritus ad jubilum, relevamen forteque fratrum,  
Officiis Christi jubilant dum cantica fessi.

Sic

Sic & lusere Domino David atque Prophetæ,  
Angelique chori cantant in laude sonori  
Psalterio, cythara, per organa, tympana, cymbala;  
Cœlorum Regi, throno Cherubim residenti,  
Tanta causa boni placeat satis hinc rationi  
Assumptæ dominæ cœperunt organa nostræ  
Hæc nova festive cum Christi laude sonare.  
Hoc opus organicum locat Hinricus Abba per ævum  
Virginis ad laudem, Christi matris & honorem,  
Fratum juvamen & saltum Spiritus Amen.

Præterea in hoc anno jubilæo misit dominus *Nicolaus Papa quintus* ordinis nostro plenum jubi-  
læum & absolutionem omnifariam, sicut & Romæ concesserat. Abbas etiam Hinricus acqui-  
sierat nobis etiam antea indulgentias plenas de passagio contra Bohemos, item indulgentias Concilii Ba-  
silensis pro reductione Græcorum, in quo Concilio ipse una cum patribus præsens fuerat depu-  
tatus. Illo etiam anno pretiosa illa domus gregum ante monasterium locata est pro suppor-  
tatione familiæ ad opera ædificationis Ecclesiaz. Ad quam lapides sine intermissione excide-  
bantur in lapicidina. Anno post hoc 1451 tabulatum est dormitorium fratrum. Hoc anno  
circa festum Apostolorum Petri & Pauli venit dominus *Nicolaus de Kufa*, *Cardinalis Presbyter*,  
*Legatus domini Nicolai 5. Pape* de Magdeborg in Hildensem & Abbas exiit obviam eidem cum  
domino *Magno Episcopo* & solennissime suscepimus est à clero & à populo cum ingenti devotio-  
ne. Et post multa, quæ ibidem operatus est in apportione jubilæi & prædicatione venit,  
personaliter illustrare monasterium nostrum & suscepimus est ab Abbatæ & conventu humiliter  
& devote in translatione S. Benedicti & dedit nobis etiam gratiam jubilæi. Qui post recessum suum, cum esset in Honover pronunciare fecit Hinricum Abbatem nostrum in *Confessorem*  
generalem Jubilei dominii Ecclesie Hildensem cum tribus collegis, ut quemcunque probatum  
sacerdotem eligeret & nominaret cum collegis deputatis, qui haberet eandem auctoritatem  
quam ipsi principales habebant ad dispensandum & absolvendum. In quo opere ipse cum  
quibusdam fratribus in festo assumptionis beatæ Virginis usque ad festum purificationis ejus-  
dem maxime occupabatur. Interea quidam conversus, cui sollicitudo lapicidinæ commissa  
erat, defunctus est, quem fratres more solito sepulturæ tradiderunt, post cujus sepulturam  
inventum est, quod collegisset pecuniam de lapicidina sibi & emisset & præparasset vesti-  
menta secularia, ut apostataret, & hoc ante mortem non esset confessus Abbatî, ut sibi con-  
stabad. Iussit ergo Abbas corpus ejus de terrâ erui & trahi per funem extra cœmpterium &  
obrui in conspectu Conventus, eo quod actio sua publicata fuerat inter fratres. Accitis  
etiam operariis atque magistris cœpit iterum præparare lapides per totam hyemem ad æsta-  
tem futuram.

Anno igitur 52 cœpit in structura Ecclesiaz occupari & elevare & consummare absidam  
australem cum fundamentis columnarum majorum, semper adhortans & sollicitans, ut  
quandoque Dei domus & Ecclesia perficeretur. Sed quia gloriam magnam visus est Ab-  
bas sibi acquisivisse per adhesionem Cardinalis, totus quoque conventus per ipsius Cardi-  
nalis visitationem personalem ad monasterium nostrum, imo magis ex hoc, quod Abbas  
constitutus est ab eo in generalem jubilæi confessorem, ne forte ex hoc extollerentur, permi-  
sit Deus omnia disponens, ut aliqualiter tam Abbas, quam conventus humiliarentur quoad  
famam humanam, ut secundum gloriam eorum multiplicaretur ipsorum ignominia, in exem-  
plum Domini nostri in Ramis palmarum & in bona sexta feria statim post hoc, sed eoresur-  
gente confusi sunt inimici. Unde cum idem Abbas Hinricus in ædificio Ecclesiaz juxta soli-  
tum multum occuparetur, cœperunt contra ipsum insurgere diversa & adversa negotia vide-  
re suo sibi importabilia. Unde corde tenus attactus, cum præfuisset in multis laboribus per  
annos 26. volens uti gratia resignandi, quam sibi antea procuraverat à capitulo generali, ut  
videlicet resignare posset, cum præesse utiliter amplius non posset, & à tantis laboribus re-  
quiescere, cessit successor, uni videlicet de fratribus suis Fratri *Hinrico Hagen*, quem ipse an-  
te annos aliquot inter ceteros de scholis attractum educaverat atque provexerat usque nunc,  
dum eius fieret successor. Ex cujus subite mutationis fama diversa & per validam temperata  
est gloria præcedens.

### XXIX. De institutione Domini Hinrici Hagen Abbatis & de actis ejus atque de ejus subita resignatione & translatione.

**I**gitur anno Domini 1451. in die S. Desiderii Episcopi & martyris ante festum pentecostes  
præfatus dominus *Hinricus Hagen*, promotus in Abbatem continuavit structuram Ecclesiaz,  
quam invenit à suo prædecessore in opere designatam à parte parietis australis & occiden-  
talnis

talis illo anno. Obiit etiam tunc *Magnus Episcopus Hildensem* gratus semper monasterio nostro, & successit eidem Dominus Bernhardus filius Ducis Brunswick & Luneborg Friderici senioris, quem ante mortem sibi substituerat. Cœpit etiam per fratres reparare canales plumbeos rivi lavatorii, sed non complevit. Complevit & tabulatum in dormitorio à suo prædecessore pro parte una completum. Ut autem alio anno videlicet 53. se posset more prædecessoris in structura Ecclesie exhibere, summam illam pecunie datam monasterio pro faciendis certis censibus pro usu fratum accepit & totaliter in ædificium hoc anno expendit, instituens fornacem grandem pro calce, quæ effectui non respondit. Elevata sunt igitur quatuor columnæ majores cum sex arcibus majoribus & quatuor minoribus appodiis, & desuper ambo parietes fere usque ad fenestras superiores. Et dimissum est opus totaliter ante tempus cessatum est. Fecit publicari & proclaimari fraternitatem ordinis, quam à capitulo generali prædecessor suus longe ante apportari fecerat, & personaliter eam distribuit atque concessit prælati, clericis atque Laicis utriusque sexus, etiam singulos deosculans personaliter. Anno vero 54. circa festum conversionis Pauli ivit cum patribus ad visitandum in *Lucca* pro inducendo, si possent, domino *Matthia Abbate* cum suis ad residendum ibidem. Verum dum difficultas fieret & dominus de Lucka non admitteretur, ideoque paratus esset resignare, & consultum esset conventu ibidem, ut unum de duobus Abbatibus præsentibus eligerent, vel dominum de *Lapide S. Michaelis* aut *Hinricum Abbatem nostrum*; In quem cum ex inductu consenserint Conventuales, & ipse consenserint astipulationes facientes sibi invicem. Quod approbaverunt patres præsentes, *Episcopus Mindensis* fraterque suus, ut dicitur, *Comes de Hoya*. Redeuntes igitur una cum ipso iidem patres, petierunt unanimiter, ut conventus consentiret. Qui cum audirent, ipsum jam consensisse conventui in Lucka, de consilio patrum noluerunt impedire bonum inde forte proventurum, unanimiter statim consenserunt. Qui cum in capitulo resignasset, statim post festum purificationis beatæ Virginis reversi sunt patres cum eo in Lucka. Ibique dominus de Lucka resignat & dominus Hinricus absque mora in locum ejus subrogatus est. Fuerat autem apud nos Abbas annum cum dimidio & paulo plus, sicque inopinata resignans, resumxit Abbatiam in Lucka. De cuius tam subita resignatione atque mutatione mirabantur universi, repletaque sunt ora loquentium iniqua. Viduataque est iterum domus & congregatio nostra & obstupuit. Et suspensa sunt corda singularum, quemnam Deus vellet constituere patrem.

*XXX. De iterum electione & restitutione fratris Hinrici de Bernten in Abbatem & de eius solita sollicitudine circa structuram Ecclesie.*

**T**andem anno gratiæ 1454. præsentibus venerabilibus dominis & Abbatibus de *Riddageshusen* & *Amelungesborn* & *lapide S. Michaelis*, fratres juxta statuta ordinis congregati ipso die S. Scholasticæ virginis elegerunt iterum in Abbatem fratrem *Hinricum seniorem* ad onera, priora & suo videre sibi quodammodo importabilia. Sed cum recusare non permisus esset, ad exhortationem præsentium patrum in Domino confusus, resumxit onus, sperans in eo, qui dixit: venite ad me omnes, qui laborati & onerati estis, & ego reficiam vos. Invenit autem graves lites atque sumtuosas à suo prædecessore inceptas, debitorum quoque involutiones plurimas præter illa, quæ ipsa prædecessore inceptas, debitorum quoque involutiones plurimas præter illa, quæ ipse prædecessori suo in debitis reliquerat. Unde multum retardabatur in structura. Sed canales lavatorii per fratres consummavit. Deinde suo more sollicitans pro Ecclesie consummatione, cum excidisset sibi plures lapides, adhibitis latomis fecit eos aptari pro fenestris oratori per totam hiemem, sperans post pascha murorum ædificia complere. Abbatis igitur labor & sollicitudo in manu Dei fit semper, ejusque beneplacito terminandus. Igitur anno Domini 1455. statim in quadragesima cœpit laborare in ædificando pro Ecclesie perfectione illam æstatem & sustulit omnes muros Ecclesie ex utroque latere, cum fenestris ad debitam altitudinem usque ad ultimum parietem versus occidentem. Et statim continuavit aptare lapides & anno proximo eundem parietem cum fenestris & pilariis suis fere consummavit præter partem superiorem. Et texit Ecclesiam trabibus & tegulis superioribus & absidarum ex utraque parte cum lapidibus nigris. Et deficientibus frumentis cessavit ad tempus, laboratoribus dimisis cum spe consummandi, donec iterum lapides colligeret & aptaret ad consummationem ejusdem testudinum introrsus per totum, atque pavimentorum & altarium designatorum atque reliquorum. Quo autem anno testudo Ecclesie inferioris à parte occidentali completa est, minime comperi in scriptis, sed, ut fertur, Ecclesiam totam consecrare fecerat anno Domini 1462. ante mortem suam, qua autem solennitate, nescitur. Igitur post multos labores atque sudores pergere cœpit ad ipsum suum consolatorem, cui semper adhæsit & illius verbis semper confidens, ut promissum est, qui potest operatores & oneratos laboribus, sub jugo suo deliciis reficere. Obiit anno Domini 1463. 3 nonas Junii. Et sepultus est in medio chori novæ Ecclesie, quam construxit. Post ejus decessum à fratribus conventus iterum electus est Frater *Henningus Mor-*

gen.

genstern, qui Abbas effectus gregem à suo prædecessore bene instructum in monastica disciplina, regere suscepit in timore Domini. Et susceptum in melius, ut speramus, rexerit. Et monasterium in vigore stetit tempore suo per annos 15. Sed de gestis ejus in temporalibus, proh dolor! per incuriam fratrum suorum nihil scriptum reperimus. Qui cum vitam meliorem eligeret, hujus vitæ terminum & diem clausit anno Domini 1478. 5. Kal. Maji. Et sepultus est cum suis prædecessoribus in loco capitulari, secundum Ordinis modum & consuetudinem. Qui cum vitæ sua terminum accepisset, fratres iterum de electione novi Abbatis, convocantes visitatores de Riddageshusen & Amelungesborn elegerunt in locum domini Henningi prædicti Fratrem *Henningum Holckemeyer*, qui multas lites habuit per tempora sui regiminis in curia Romana, sub qua multa expendit, nec sic quiescere potuit, quin etiam a fratribus suis malignis male haberetur in reverentia; quem accusantes apud visitatores, velut alterum Jhesum de quodam crimine, quod probare facile non poterant. Visitatores sic vocati propediem veniebant ad monasterium in die Epiphaniae domini ante lucem. Cum autem Abbas intrasset capitulum ad audiendum sermonem secundum Ordinis modum, intraverunt subito post ipsum visitatores & amoventes eum de loco suo in Capitulo, deposuerunt eum de officio suo; qui submotus humiliter discedens, & alter mox in locum ejus electus est, Frater videlicet *Hinricus Polman*. Qui autem accusatores fuerunt, sperabant forte, se nocturos Abbatiam, sed Deus aliter disposuit. Dominus Henningus prædictus cum ita esset depositus, provisionem suam accepit in curia *Bocla* juxta castrum *Giffhorne*, ubi ad tempus vitæ sua habitavit. Dominus autem Hinricus Polman electus Abbas à fratribus, post depositionem prædecessoris sui fuit in omnibus suis factis vigil & diligens circa curam monasterii in spiritualibus & temporalibus, ut patet in scriptis atque registris suis. Direxit quodam ad studium Lipsense de fratribus suis instituendos. Etiam habuit multas lites cum Curtianis in causis Ecclesiarum *Bockum*, *Alvelde* atque *Roden*, qui multis annis ab ipso & monasterio exigebant annuos census, de prædictis Ecclesiis. Item multa ædificia in monasterio & in grangiis construxit atque lapsa reparavit. Tempore suo monasterium in bono statu se habuit; multas piscinas circa monasterium reparavit. Piscinam ante nemus etiam cum fratribus fecit, renovari, quæ tamen non longe post anno 1514. dirupta est. Cum tamen iam senio confectus esset, pene omnibus noctibus, aliis dormientibus, visitavit omnes officinas, si granarium, sic coquinam, pistrinum, cellarum tam Abbatis, quam conventus, ut videre posset deictum uniuscujusque officii. Itaque cum iam officio suo secundum possibilitatem suam bene præfuisset, in spiritualibus & temporalibus per viginti septem annos migravit ex hac luce, sperans se meliorem futuram vitam invenire. Obiit anno Domini 1516. 8. idus Februarii, & positus est ad priores antecessores suos in loco capitulari secundum Ordinis consuetudinem. Post cujus funebrem sepulturam, convocatis à fratribus visitatoribus de Riddageshusen, scilicet & Amelungesborn, iterum in locum illius electus est frater *Jodocus*, tunc temporis Prior loci, in Abbatem monasterii, paucos tamen annos residens quietus. Qui postera die sua electionis, constituit in Priorem fratrem Hinricum Eicken ad breve tempus, quia Ecclesia Alveldensis tunc vacavit Capellano, cuius Ecclesia curam postea illum regere præfecit, quia erat insigne doctus & unus de emissis, ut prætactum est, ad studium Lipsense, in qua Ecclesia loco pastoris presul ad annos circiter viginti, & ultra. Attamen post viationis Lutherana heresi apostatavit. Dominus igitur Jodocus Abbas monasterii, cum conventu suo bene in disciplina monastica à suo prædecessore informatus, in omni disciplina regulari cum fratribus suis cœpit conversari, attamen diabolo suum seminandi semen tempus aderat. Nam vasalli Ecclesie Hildensemis insurrexerunt contra Dominum *Johannem inferioris Saxonie Ducem* & *Episcopum Hildensem*; & illi rebelles cum Duce Hinrico juniori de Brunswick fecerunt conspirationem contra episcopum suum, & confederati cum prædicto Duce, alienaverunt se à suo Episcopo. In contumeliam Episcopi unus ex illis *Borehardus de Saldere* pra. aliis inimicus ejus effectus est, qui Capitulo Hildensem & reliquo clero Diœcesis multum damni intulit in eorum vicis cumburendis atque oppidum *Gronave* totaliter exustum per unum servorum suorum fierifecit, qui postea ob scelus suum ante Sturwolde castrum pœnas exsolvit. Qua de causa Dominus *Johannes Episcopus Hildensem* ad conflictum cum auxiliaris suis cum *Hinrico Duce Brunswicensi* in merita Soltavensi in territorio Luneburgensi venit, & ibi capti duo *Duces Brunswicenses*, *Ericus* videlicet & *Wilhelmus*, & vexillum Erici suspenderunt in Ecclesie Hildensem. Et Hinricus Dux prædictus iterum confurtextit contra Episcopum & civitatem Hildensem, quam obsedit ad quatuor septimanias. Tunc monasterium nostrum per satellites & milites cotidie visitabatur, piscinæ nostræ omnes vacuæ, frumenta ante novam curiam totaliter consumta. Insuper monasterium coactum est dare Duci Hinrico quingentos florinos monetarios. Tandem nacta pace Episcopus resignavit & contulit sè ad germanum, suum *Magnum Duxem Saxonie*, & Recessu factus est inter Capitulum Hildensem atque Duxem Brunswicensem ab Episcopo Magdeburgenfi, in quo Recessu diffinitum est, ut *Duces Brunswicenses* omnia castra cum civitatibus quondam ad diœcsem Hildensem pertinentes deberent ab omnibus sub ducum ditione, [manere] exceptis tribus videlicet castris, *Peyna*, *Sturwolde* & *Marienburg* cum monasteriis *Carthusia* & *novale* *sanctæ Marie*, que per manere debuit sub Capitulo Hildensem. Ita diffinitum est

Nnn

Que.

Quedelenborg ab Episcopo Magdeburgenfi, ut prædictum est. Hac de causa omnes Valli, quia sua perdidierunt in castris Hildesemensis diœcesis, repetierunt ab Capitulo & Episcopo sua damna. Inter quos erat *Borchardus de Salder*, cum esset inimicus Capituli, nostrum monasterium nocte *Cosmæ & Damiani* spoliavit; fratrem in monasterio occiderunt, atque bubulum, decies & septem equos de monasterio abstulerunt, insuper incenderunt medium portam, qua totaliter conflagrata est. Et intulit idem prædictus de Salder nostro monasterio grave damnum, & multa alia incommoda sustinuit monasterium, non solum ab prædicto, sed & a multis, quos dinumerare longum esset. Ideo coacti sumus nobis querere auxilium alio, & hoc cum consensu *Episcopi Valentini de Teutleben*, qui tunc erat succellor in ordine Episcoporum Hildesemensis. Et fecit dominus Jodocus Abbas cum Conventu suo in novali sanctæ Mariæ, nova curia, cum villis nostris *Soddere & Holthusen* pactum cum Illustrissimo Duce *Erico Brunsuicensi*, ut literis & sigillis confirmatum est, & pater easdem literas legitibus. Ethoc præ malis sequentibus minimum erat. Insuper sub prædicto Venerabili Dominino Jodoco Abbatte abstulerunt nobis Consulatus Hildesemensis pascua pro pecoribus nostris in sylva Hildesemensi, atque montem caprinum super Holthusen, quem civitati Hildesemensi appropriaverunt. Item in obsidione civitatis Hildesemensis omnes piscinae nostri monasterii vacuæ sunt. Item anno 1553. obsidione oppidorum *Bockenum & Alveldo* per Comitem *Manfeldensem* multa incommoda perpeſsum est. Tandem per *Ducis Hinrici Brunsuicensis filios Philippum, Magnum atque Carolum Victorem* contra *Burggravium vel Margravium Brandenburgensem* pugnantes, coactus est dominus Jodocus Abbas prædictus dare vulgariter tho *Brandichatte V. Jochimdaſer*. Item Scheppelschat per multos annos annuatim circa vel ultra ducentos florenos. Post multas exactiones atque tributa ab illo Abbatte persoluta tandem non solum in fine vitæ suæ, sed etiam in principio regiminis sui perpeſsus est illam maledictam *heresin Lutheranam*, qua multis ex fratribus suis decepti apostataverunt, atque tempore suo exortum est *bellum rusticorum graffantium*, qui castra non solum, sed & monasteria in diversis partibus deſtruebant, videlicet in partibus nostris monasteria *Lapidia S. Michaelis, Walkenrede, veteris Celle &c.* super quibus non modicum contristabantur. Tandem vitæ præsentis finem faciens anno regiminis sui 42, in curia Hildesemensi obiit & in monasterio Novalis S. Mariæ in loco capitulari cum prædecessoribus suis secundum Ordinis statuta in die Agathæ anno Domini 1558. sepultus est. Post ejus obitum fratres monasterii vocantes visitatores de Riddageshusen & Amelungesborn, in quorum præsentia electus est frater *Berinwardus* Supprior tunc temporis conventus, qui in initio sui dominii bene admodum se ostendit, sed paulatim se erexit atque conventum parvipendens & negligenter se circa fratres & congregationem exhibens, suis se oblectabat deliciis, atque fratres forte ex assensu suo post cœnam in horto, quodam domino die potantes, unus ex illis *Hinricus de Lammenspringe* parvipendens sacerdotium, unum ex servitoribus Abbatis interfecit, quod cum ad aures domini *Borchardi, Episcopi Hildesemensis* pervenit, reclusit Abbatem in commodo, quod sibi aptaverat, ablatis sibi clavibus, &c constituit ibidem *Johannem Beckman*, quandam scriptorem suum pro Officiali. Cum autem Abbas Berinwardus percepit, se ita vinclum teneri ab Episcopo, nunciavit talia per servum suum præfecto atque Cancellario in castro *Calenbarghe*, qui statim mittentes & Abbatem ad se recipientes in castrum Calenbarg, postea mittentes illum in curiam nostram in Honover. Qui cum illic se contulisset, procuravit omnia privilegia, calices atque figilla ad se transferri usque in prædictam curiam, habitò consilio cum fratre *Francisco Börßen* illic habitante, ut illa prædicta sub custodia horum duorum videlicet Abbatis & fratris essent. Cui ille frater consentiens recepit ea servanda in capella ibidem. Cumque etiam Abbas ad consiliarios *Ducis Erici junioris* se contulisset, illic cum eisdem consilio habito procuravit, ut ille frater curiæ præfectus evocaretur de civitate Honover, usque in monasterium monialium *Werder* vulgariter nuncupatum. Cum ille frater se illuc contulisset, Abbas celeriter veniens & quasi furtim illa privilegia, calices & sigilla in quatuor aut quinque parvis cistis inclusis, evexit de curia in Honover usque ad monasterium monialium *Wennissen*, ubi manebat tunc temporis Vice dux N., qui ea recipiens è manibus suis, non longe post dedit illa ad manus *Ducis Erici* in castrum *Calenbarg*, ubi steterunt usque ad annum 1567. Interea multa comitia habebantur in monasterio Marienrode cum Episcopo & Abbatे, tandem cum Abbas nollet consentire, Episcopo, anno domini 1561 in nomine Domini depositus est de officio Abbatis & statuerunt fratres se subtrahere in monasterio, & ultra non esse sub tuitione ac defensione *Ducis Erici*. Et post depositionem domini Abbatis Berinwardi, fratres cum visitatoribus elegerunt fratrem, scilicet nostrum Seniorem *Franciscum Börßen* prænominatum agentem in curia Honover in ipsius absentia. Cumque illi fratri visitatores electionem per scripta insinuabant, ille frater non proterve, sed sub obedientia rescripsit visitatoribus, si in tribus articulis sibi vellent auxilio esse; videlicet deposito Abbati disponere provisionem suam, & privilegia monasterii cum calicibus atque sigillis è manibus *Ducis Erici* sibi restituere atque fratres cum ipso sub tuitione & defensione ejusdem *Ducis*, [manere] secundum contractum inter *Ducem & monasterium* factum sub Abbatे Jodoco, pia recordationis, veller obedire in nomine Domini, & subire onus. Cumque fratres in monasterio hujusmodi responsum receperint, pergebant ad Episcopum

scopum cum hujusmodi responsis, & delati sunt usque *Wulfelbuttel* in cancellariam, ab inde post aliquot dies mittebantur ad monasterium *Riddageshusen*, quibus Abbas ibidem residens, [audit] rescripsit fratri electo, *Francisco Börsem*, ut dominica post visitationis Mariae compareret in monasterio *Marienrode*, ibi audiret bonum responsum. Cumque se illò electus frater contulisset, & ab Abbatore de Riddageshusen haberet responsum, adjecit idem Abbas: dilecte frater, ex quo scripsisti, te velle manere sub tuitione ac defensione Principis & Duxis Erici, iam non potes esse Abbas. Mane lucecente venit *Episcopus Borchardus* ad monasterium & substituit fratrem *Johannem Hanen* in Abbatem monasterii, factum est hoc anno 1561 secunda feria post visitationis Mariae. Depositus autem Abbas omnia bona monasterii arrestavit atque ea ad libitum suum usurpavit isto anno. Dominus autem Johannes Hanen iam Abbas effectus pene absque consensu totius Conventus; & fratribus data libertate, si quis vellet illi profiteri, esset in sua potestate, & sic nemo isto die profitebatur: attamen ab Episcopo & visitatoribus intronizatus est. Electo autem fratri i. e. *Francisco Börsem* data est possessio curia Honoverensis ad tempus vitae suæ, eo quod ipsum repulissent. Cum autem Dominus Johannes Hanen Abbas sedisset & omnia haberet in potestate, audiens plus secularis, quam patres & fratres monasterii, omnia consueta religionis vertit in abusum. Refectorium, ubi fratres summum servabant silentium, factum est hospitale advenientium: colloquium & infirmariam & omnia commoda seniorum patrum & fratum clausit & pene destruxit. Oratorium sive Ecclesia factum est quasi vidua domina gentium. Ambitus factus est confabulatorium: omnes ceremoniae Ordinis in monasterio versa sunt in contrarium. Omnia bona, quæ iam erant scenerioribus & usurariis posita ultra modum, summas supra summam accipiens, gravavit, ut vix aut nunquam redimi possint. Ipse locavit consulatu in Honover curiam cum omnibus suis appenditiis, cum decima, primum ad duodecim annos pro 2000 aureis florenis, quibus peractis iterum ad decem annos locavit eisdem Consulibus, super praedictam summam recipiens quingentos quinquaginta aureos, ita ut ista summa se extendat ad duo millia quingentos quinquaginta aureos florenos. Item *Magna Folger* locata erant bona nostra pro parte in *Geinsen* & *Lathusen* pro mille quingentis aureis: ipse autem eidem eadem bona locavit ad certos annos pro duobus millibus ducentis florenis, ita quod gravavit iam summam ad septingentos aureos. Item *Vassallia de Saldere* locata erant bona in *Bennirode* pro duobus millibus aureis: ipse autem super summam praedictam accepit adhuc quingentos aureos, & sic etiam gravavit eandem Summam. Item locavit consulibus in *Hildesem molendinum* *Episcopi* pro 1500 aureis nummis etiam ad certos annos, quibus expletis, anno 1576 locavit idem molendinum eisdem super acceptam summam additis pluribus florenis aureis. Sub isto domino Johanne Abbatore recepit monasterium privilegia monasterii ex mera benevolentia *Illusterrimi Principis & Duxis Erici Brunsvicensis junioris*, [sequentia alia, quam precedentia, manu scripta sunt.] anno videlicet 1577. de castro *Calenbarge*, ubi in potestate Duxis servabantur, sicut illic præfatus Bernwardus Abbas sub regimine suo depositus. Ipse Abbas Johannes sane nobis ab *Episcopo Borchardo de Oberg* quasi contra voluntatem conventus datus, venit in controversiam cum *Sifrido Nüntz Cancellario* possidente castrum *Marieborg* ex parte *Episcopi Ernesti Hildesemensis*, propter malam famam, quam ab Abbatore percepérat: & constituit diutinam in Monasterio *Marienrode* anno Domini 77. ipso die Ursulæ, ubi cum convenerunt, cancellario accusante Abbatem & conventum de mala provisione domus ac monasterii, & petiit ab Abbatore rationem receptorum & expositorum: ad quæ nihil respondere poterat, sed petiit inducias ad aliquod tempus. Paucis diebus interpositis, perrexit Abbas ad castrum Sturwolde ad eundem Cancellarium, forte propter necessaria lignorum in monte Tossum, ubi ab eo exauditus est, & monasterio lignorum necessaria recepit. Sed anno sequenti videlicet 1578 tertia feria post Purificationis idem Cancellarius praedictus ingrediens monasterium cum consiliariis Episcopi & inquisitionem faciens de Abbatore, non comparuit; sed emissis servitoribus, invenerunt ipsum rediutem ad monasterium, qui forsitan (ut fama fuit) ad tres noctes in monasterio non fuit; qui vocatus ab Cancellario, recepit ab eo claves Abbatis atque sigilla, & juramento ab eo accepto, posuit eum in Cameram Abbatis in Abbatia vinclum ad aliquod tempus. Abbas autem parvi pendens juramentum, secessit è monasterio nocte sequenti cum complicibus suis *Ernesto Hartorpe* &c. in civitatem Hildesianam scribens ab inde summo præfecto in castro *Calenbarge*, & accusans Cancellarium & consiliarios Episcopi multis verbis inutilibus, quod inique egissent cum eo. Ex his scriptis prædictus Duxis occasione nacta, nongentis armatis ex parvis oppidulis & rusticis (ut fama fuit) collectis, infra tertiam & quartam feriam post dominicam Oculi anno Domini 1578. monasterium circumsepsit & mane facto ingrediens, scriptorem, quem cancellarius ibidem posuit, requirens eundem de monasterio ejecit, & Abbatem de civitate vocans restituit in gradum suum, qui unum aut saltem, aut vix duos dies in monasterio se habuit, iterum contulit se ad civitatem Hildesianam, ubi latuit, qui sepius à præfecto supradicto adhortatus est, ut ad monasterium se conserret & respiceret curam domus, qui renuit. Tandem sexta feria post Barnabæ venit (forte adhortante præfecto) in monasterium, & sequente Sabbatho pere eundem præfectum allocutus, tandem con-

N n n 2

questus

questus est, se ultra non posse præesse, & sic resignata Abbatia rediit ad civitatem Hildesianam. Interea autem cum Abbas ita civitatem inhabitaret, cancellarius & consiliarii Episcopi insignia principalia Erici Duci ac protectoris monasterii, auferunt de porta monasterii & a sportaverunt ea ad castrum Sturwolde secunda feria post Cantate. Præfetus autem & cæteri consiliarii Duci alia insignia præparari fecerunt, iterum ea appendentes ad fores monasterii, & hoc factum est in vigilia corporis Christi, anno scilicet 1578. Non longe post Abbas recipiens se ad civitatem & ibi moratus est usque ad diem Vincula Petri, quo die evocatus per præfectum Duci Erici, Conradum Wedemeier de civitate Hildesiana, qui convenientes in monasterium, & ibidem argutus est Abbas à præfecto in præsentia seniorum amicorum & conventus, eo quod male ageret cum bonis monasterii & ideo conventus flagitabat computationem ab Abbatie faciendam, qui non renuit, sed petiit inducias usque ad festum Sancti Michaëlis, quibus datis, iterum contulit se ad civitatem, quamvis illi mandatum fuerat, in monasterio manere, & ibidem curam impendere super ea, quæ spectant ad spiritualia. Temporalia vero commissa sunt Priori & scriptori Abraham N. quæ ita transacta, cuncti se transferunt ad sua. Non longe post iterum Abbas introductus est in monasterium, non tamen à præfecto, sed à quibusdam suis famulis, sed non multum profecit. Iterum se recipiens ad civitatem & inde scribens ad consiliarios Duci Erici in castro Mündensi, territorii Göttingensis accusans fratres monasterii, tanquam scortatores & maleficos, multis inutilibus verbis: & impositum est Abbatii ab eisdem consiliariis, in præsentia eorum in Castro Mündensi rationem facere, ad quod castrum fratres volentes ire, nominato die, sed per cancellarium & consiliarios Episcopi prohibiti sunt. Ipse autem Abbas se illuc contulit, & inde rediens, iterum se contulit ad civitatem Hildesianam cum complicibus suis. Hæc acta sunt anno 1579. sexta feria post Epiphania Domini.

[Sequitur alia recentiore manu:]

Altera die post festum Purificationis scripsit Præfetus prænominatus *Cunradus Wedemeier* Erici Duci protectoris nostri fratribus in monasterio, ut vellent simul esse in monasterio: haberet quædam cum illis commentari. Prior igitur Monasterii *Johannes Clodius* non erat in Monasterio; profectus enim erat aliò. Sed frater *Henricus Overbeck* & frater *Casparus Peine* erant in Monasterio. Cum jam diesceret, venerunt Præfetus præfatus & *Georgius de Gladebach*, (qui inhabitator erat Monasterii *Wullinckbusen*,) cum aliquot militibus, cum curribus & equis, convocantes fratres. Inter quos fratrem *Casparum Peine* primo aggressi verbis, quid agere vellet? Num vellet Abbatii obedire & habere pro Domino? Quibus breviter respondit, se non posse: quia non esset idoneus ad tale officium. Tunc Præfetus jussit militibus in præsentia Abbatis, ut ejicerent fratrem illum Monasterio, & jussit portario strictè, illum iterum non intromittendum. Tunc aggressi fratrem *Henricum Overbeck* similibus verbis: qui eadem, quæ prædictus frater Casparus, respondit: quem multis verbis hortantes nihil prævaluerunt. Altera vero die secutus est frater Henricus fratrem Casparum, & dimiserunt, Abbatem cum duobus novitiis in Monasterio. Illi autem fratres intraverunt Civitatem Hildensem in curiam Monasterii, ubi repererunt Priorem: & ipsi fratres diviserunt se, Prior in Monasterium S. Godehardi, frater Henricus in Monasterium S. Michaelis; frater Casparus mansit in curia, ibi expectantes finem rei. Insuper & fratrem *Carstianum* conversum per ministros suos (tanquam per lictores) Abbas vinciri, &, ut fratrem *Casparum*, contra jus & fas Monasterio expelli fecit. Abbas vero in sua obstinatione perduravit, & noluit fratres recipere in Monasterium, neque fratres voluerunt cum ipso esse in monasterio. Interim Abbas nova sigilla fieri fecit, & vendidit Curiam Monasterii in civitate Hannoverensi Consulatu ibidem pro certa summa pecunia & absque consensu Conventus; quia propria voluntate utens, non reputavit Conventum, & sic vivens in Monasterio tanquam Laicus; & divina cessaverunt totaliter; quod maxime est dolendum. Insuper quæ residua fuerant in Curia frumenta, ab anno in annum servata, evehi fecit ad monasterium, & ut narrant, inter amicos suos divisit. Appropinquante messe prohibuit villicis circa Hannover, ut nihil frumentorum ad curiam ibidem portarent. Conventus econtra inhibitiones eisdem villicis facit, Abbatii nihil tribuendum; quam inhibitionem patenter ubique ante valvas Ecclesiærum appendi fecerunt. Hinc rursus Abbas scripsit villico in Ludorthen, frumenta debita Monasterio, in civitatem Hannover præsentanda uni civium ibidem, nomine *Hieronymus Wedekint*. Decimam carnium in *Anderthen* & *Latzen* colligi fecit Abbas per scriptorem suum *Henningum Meier*; & mandavit cunctis, qui monasterio quid debeant in censibus suis de agris seu curiis, ut eosdem census porrigerent *Conrado Damman*: & hæc omnia per scriptorem, qui adhæsit Præfecto defensori, procuravit fieri. Tandem in die Mauriti scriptor reversus Latzen, per semetipsum à villicis & ceteris debitoribus debita requirens, ad quatuor dies illic moratus est. Item Abbas, intendens unum de cibis Hildensem in curiam, & ibidem habere principatum; cui Abbatii fratres restiterunt, & portam curie firmaverunt, nec intromitterentes eum, vacuum eum retro abire coegerunt. Postea arrestavit Abbas fratri habitanti in curia Hannoverensi census fructuarios, quos idem cum visitatoribus ante

ante annos aliquot ascripsit ad vitam fruituros, propter aliqua privilegia, quæ idem Abbas Priori & fratribus ad manus tradidit; quæ repetit ab illo fratre in Hannover, reputans apud illum hæc privilegia esse; de quibus cum ille frater secesserat, aliam opinionem præse ferunt, iterum arrestant. Qua de causa ipse frater coactus scribere ad Viceducem *Mauritium Eresen*, qui ei gratus extitit ob antiquam amicitiam, quam aliquando habuit cum eo, frumenta libera pervenire ad fratrem prænominatum. Alia frumenta ad monasterium pertinentia Abbas vendidit cum scriptore uni civium in Hannover, *Hieronymo Wedekind* ad advehendum. Prior autem cum reliquis fratribus in civitate Hildesiana sc̄e habentibus nihil receperunt de pecuniis prædictorum fructuum, quamvis & illi inhibitionem fecerunt; sed census in *Sodder & Holtzen* arrestaverunt per Cancellarium Episcopi, quorum fructuum Abbas nihil percepit. Sed ex hoc Abbas commotus contra fratres suos, per auxilium Præfecti Duci Erici protectoris nostri arrestari fecit Consiliariis Episcopi Hildesheimensis omnia bona eorum in Ducatu Brunswicensi, videlicet castris *Calenberge & Coldingen*. Quid inde fiet, expectamus finem. Item secunda feria post Dominicam Sexagesimæ anno 1580 Præfectus *Cunradus Wedemeier* in utilitatem monasterii Marienrode armata manu suorum subditorum irripuit in sylvam *Tossum*, & inde abstulit & vexit ad Monasterium aliquot vehes lignorum atque fasciculorum, in magnum damnum ejusdem sylvæ, castri *Marienburgk* atque monasterii. Insuper recepit à Consulatu in Hildensem 1000 aureos nummos, & pignoravit eisdem novam Curiam ante Monasterium anno 1580 absque scitu & consensu suorum fratrum. Tandem fratres expulsi atque cedentes de Monasterio propter vitæ ipsius inordinationem, coacti sunt querere *Commissarium*, videlicet R. Patrem ac Dominum *Johannem Abbatem Monasterii Veteris Campi*; qui in propria persona propter varia incommoda sibi imminentia substituit autoritatem sua venerabiles Patres & Abbates Monasteriorum *Hardebusen & Breideler* in visitatores nostri Monasterii, qui suscepit commissione scripserunt ad Consiliarios Illustrissimi Principis ac Duci Erici Brunsvicensis: qui in hujusmodi visitationem nolabant consentire, & prohibebant introitum eorum. Anno 1580 visitavit Illustrissimus Princeps ac Dux Bavariae, Alberti Duci filius *Ernestus*, electus & confirmatus Episcopus Hildensem diecesim ac Ecclesiam Hildesianam Dominica post festum Symonis & Iuda.

XXXVII.  
NARRATIVNCVLA  
DE  
FVNDATIONE COENOBII S. CRVCIS  
APVD BRVNSVIC.  
Ex MSto.

**F**VIT quidam miles reverendus, nomine *Baldewinus de Campo* dictus, cui de Brunswigk Burgenses fuerunt adversati. Qui verò legatum suum mittens ad memoratam civitatem, arduum negotium ei committens. Legatus autem, cum in itinere esset, occurrerant sibi adversarii Domini sui, qui exagitabant eum, volentes comprehendere ipsum. Servus vero videns & audiens prædicti militis infidiatores, fugam initit, & sub quadam arbore, quæ in modum crucis creverat, se abscondit, ubi præ nimio terrore & anxietate obdormivit. Et in ipsa requie sub prædicta arbore in figura avium audivit voces animalium ibi intersectorum, dulciter cantantium & dicentium: Benè, benè nobis, quia advenit tempus nostræ redēctionis, in quo debemus salvare, & ab omnibus pœnis & miseriis nostris liberari. Quo auditio evigilans, & intra semet ipsum nimium admirans, & iterum atque iterum obdormiens, & usque tertio eam vocem audiens, & sic præ nimio gaudio evigilans, suspiciens arborem, vidi in summitate ejus angelum Dei sedentem, voce magna clamantem & dicentem: Benedictus sit omnipotens Deus & locus iste sacratus, quia omnes, quorum corpora in hoc loco requiescent, & qui Deum in eo loco jugiter laudabunt, atque omnes, qui propter indulgentiam hic adveniunt & gratiam querunt, nunquam à regno Dei separabuntur. Cliens igitur celeriter iter arripiens, & ad Dominum suum rediens. Qui eum intuens, & ipsum dirè arguens, inquiensque, ex quā re tantam moram fecisset in itinere. At ille respondit & dixit: Tanta & talia miracula acciderunt mihi, dum eram in via, quæ non sum ausus intimare vobis, ut mihi per revelationem apparuerunt in somniis. Respondit miles: si quid boni nosti, loquere, sin autem mali, file. Tunc servus præfato militi cuncta intimavit, & omnia, quæ ei acciderant, narravit. Miles cum hæc audivit, respondit & dixit: Hæc omnia mihi à te insinuata, &

N n n 3 per.